This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



43. 1062.



# SUFFRAGANEI

## COLONIENSES EXTRAORDINARII,

SIVE

## DE SACRAE COLONIENSIS ECCLESIAE PROEPISCOPIS,

VULGO: WEIHBISCHÖFEN,

## SYNTAGMA HISTORICUM.

QUOD PRIUS INSTRUXIT J. H. HEISTER COLONIENSIS, NUNC RENOVAVIT, NOVIS ACCESSIONIBUS AUXIT ET AD NOSTRA USQUE TEMPORA CONTINUAVIT

**ANT. JOS. BINTERIM,**

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, EQUES PONTIFICIUS AUREI CALCARIS, SOCIUS ACADEMIÆ ROMANÆ ET PAROCHUS IN BILCK PROPE DUSSELDORPIUM.

SVFFRAGANEI COLONIENSES.

**MOGUNTIÆ,**

SUMPTIBUS KIRCHHEIMII, SCHOTTI & THIELMANNI.

1843.

MOGUNTIÆ,
TYPIS FLORIANI KUPFERBERG.

REVERENDISSIMO ILLUSTRISSIMO

DOMINO DOMINO

**JOANNI DE GEISSEL,**

ARCHIEPISCOPO ICONIENSI,

RVDMI EXCELLENTISSIMI DOMINI DNI NOSTRI

**CLEMENTIS AUGUSTI,**

ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS,

COADJUTORI

CUM JURE SUCCESSIONIS,

NEC NON

**ADMINISTRATORI APOSTOLICO,**

etc. etc. etc.

DOMINO SUO GRATIOSO,

HOC SYNTAGMA HISTORICUM

MAXIMA REVERENTIA ET OBSERVANTIA

OFFERT, DICAT, DEDICAT

PAROCHORUM INFIMUS

***A. J. BINTERIM.***

# PRAEFATIO.

Quid animum meum manumque duxerit, Heisteri vel Gelenii ante ducentos annos editum de Suffraganeis Coloniensibus Syntagma renovandi, ampliandi et continuandi, si scire vis, L. B., paucis habe. Aemulatione felicissima hoc anno excitati omnes, Reges et Principes, domestici et extranei, viri et mulieres una mente unaque quasi manu diurnam nocturnamque impendunt operam et laborem, ut Dominicum templum, quod est Coloniae Metropolitanum, reparato jam choro, reaedificetur et, faventibus Superis, secundum primigeniam delineationem absolvatur, Miraculum mundi, perenne Germaniae monumentum, Archiepiscopalis Cathedrae ornamentum. Sed sancta Colonia praeter materiale habet etiam spirituale templum, quod, ni me omnia fallant, indiget renovatione et aedificatione ulteriori. Sicut enim Apostoli sunt fundamentum Ecclesiae spiritualisque templi, ita Episcopi et summi Praepositi sunt, judice Divo Hieronymo Epist. 122. ad Rusticum, muri et turres et columnae. Tentare ergo proposui, non temerarius Architecton, renovationem et continuationem partis alicujus, cum integrum perficere non possim, unius nempe earum, quibus templum Spiritale fulcitur columnis, acturus de Proepiscopis Coloniensibus sive extraordinariis Suffraganeis. Eos enim non ultimas in Ecclesia specialiter Coloniensi fuisse columnas,

testatur historia Archiepiscoporum Hermanni Wiedani et Gebhardi Truchsesii, testantur tot praeclara monumenta et divites fundationes.

Porro Heisterum renovans, detrita rejeci, errata emendavi, omissa supplevi; sed quod bonum erat, retinui, opusque ad nostram diem continuavi. Habeas igitur opus novum super fundamentum antiquum provide constructum ulteriusque. Fave et utere!

Scribebam mense Decembri 1842.

# CONSPECTUS.

Pag.

Caput I. De Episcopis, Chorepiscopis, Episcopis vagantibus et regionariis, monasterialibus, titularibus . . . . . 1

„ II. De Chorepiscopis et iis, qui interdum vice functi sunt Archiepiscopi Coloniensis a saeculo VII. ad XII. usque. 11

„ III. De Episcopis Titularibus in partibus infidelium, extraordinariis Colon. Archiepiscoporum Suffraganeis . . . . 42

1. Hermannus, Sambiensis Episcopus . . . . . 43
Emanuel Cremoniensis . . . . . 44
2. Henricus Redestonensis . . . . . 45
3. Joannes Scopulensis . . . . . 45
4. Joannes de Tremonia Scopiensis . . . . . 47
5. Rudolphus Constantianus . . . . . 48
6. Joannes Scopiensis . . . . . 50
Daniel de Wichterich . . . . . 51
7. Wichboldus Culmensis . . . . . 53
Ludovicus de Foro Togiensis . . . . . 50
Theodoricus de Wischel, Naturiensis . . . . . 50
8. Everhardus Sebastenus . . . . . 55
9. Eberhardus Caronensis . . . . . 56
10. Conradus Venecomponensis . . . . . 56
11. Wilhelmus Albicastrensis . . . . . 58
12. Joannes Venecomponensis . . . . . 58
13. Hilgerus Buduanensis . . . . . 60
14. Henricus Venecomponensis . . . . . 62
15. Arnoldus Cyrenensis . . . . . 63
16. Joannes Cyrenensis . . . . . 64
Joannes Adramitenus . . . . . 65
17. Theodoricus Cyrenensis . . . . . 66
Joannes Tricalensis . . . . . 67
18. Quirinus Cyrenensis . . . . . 67
Georgius Lundensis . . . . . 69

Pag.
19. Joannes Cyrenensis . . . . . 69
20. Everhardus, Cyrenensis designatus . . . . . 70
21. Joannes Cyrenensis . . . . . 72
22. Theobaldus Cyrenensis . . . . . 73
23. Laurentius Fabritius Cyrenensis . . . . . 74
24. Joannes Nopelius Cyrenensis . . . . . 75
25. Theodorus Cyrenensis . . . . . 75
26. Otto Gereon Cyrenensis . . . . . 76
Caspar Münster Aureopolitanus . . . . . 79
27. Georgius Pauli Joppensis . . . . . 80
28. Adrianus Adrianopolitanus . . . . . 83
29. Paulus Armiriensis . . . . . 83
30. Joannes Henricus Hierapolitanus . . . . . 84
31. Joannes Petrus Hermopolensis . . . . . 89
32. Godefridus Udalricus Nicopoliensis . . . . . 90
33. Joannes Wernerus Eleutheropolitanus . . . . . 91
34. Franciscus Caspar Rodiopolitanus . . . . . 94
35. Carolus Aloysius Myrinensis . . . . . 96
Carolus Clemens Pariensis . . . . . 98
36. Clemens Augustus Bethsaidensis . . . . . 99
Caspar Maximil. Jerichuntinus . . . . . 99
37. Carolus Adelbertus Samariensis . . . . . 100

# DE PROEPISCOPIS

SIVE

# SUFFRAGANEIS COLONIENSIBUS.

## CAPUT I.

### DE EPISCOPIS, CHOREPISCOPIS, EPISCOPIS VAGANTIBUS ET REGIONARIIS, MONASTERIALIBUS, TITULARIBUS.

*Episcopi* nomen, quod apud veteres, tam sacros[1]), quam profanos[2]), varias diversasque habuisse noscitur significationes, ab Apostolica aetate specialiter Rectoribus primariis Ecclesiarum et Pastoribus tributum esse invenimus. Mox enim, cum Judas Iscariotes, unus ex duodecim, laqueo se suspenderit crepueritque medius, caeteri Apostoli convenerunt in unum, electuri loco Judae alium, qui juxta Psalm. CVIII. ejus accipiat *Episcopatum*, id est, ministerium et praefecturam. Paulus, gentium doctor, ad Timotheum scribens: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, I Timoth. III, 1., per hanc vocem nihil aliud intelligit, quam supremum in Ecclesia ministerium, sicut et aliis in locis Praepositos nominat *Episcopos*, Act. XX, 28., Philip. I, 1., I Timoth. III, 3., Tit. I, 7. Unde hoc nomen, Apostolico usu sanctificatum, quia et munus et ordinis gradum optime exprimit, ad-

1) Conf. II. Esdr. XI, 22.

2) Vide *Beveregium* Observat. in Can. I. Apost., *Pearson* in Epistol. Ignat., *Nourry* Apparat. ad Biblioth. Patr. Tom. I., *Mamachium* Antiquit. Libr. IV.

haesit Rectoribus in primo Sacerdotio constitutis pressius, quam nomen Pontificis, Sacerdotis, quod apud primos Apostolorum discipulos vix observare licet, cum tamen Clemens Romanus in I. ad Corinthios Epistola, N. 42. et 44., Ignatius in suis ad Magnesianos, Trallianos, Smyrnaeos et Polycarpum saepius usi sint nomine *Episcopi*. Hoc idem Polycarpi auditores, ut Mamachius docet [1]), fecerunt, quique se iis, qui ab Apostolis doctrinam acceperant, tradiderunt in disciplinam, quorum studia aemulati, qui deinceps vixerunt, Patres idem appellationis genus in nostra usque tempora derivarunt. — Raro quidem, idque humilitatis causa, se ipsos Apostolici viri nominarunt Episcopos; semel enim id facit Ignatius Epist. ad Roman., scribens iis: „In caritate, chorum constituentes, canatis Patri in Christo Jesu, quod *Episcopum Syriae* dignatus fuerit Deus in Occidente inveniri, ab Oriente accersitum." Attamen fideles ab eo tempore suos Ecclesiae Rectores consueverunt haereditario quasi modo appellare *Episcopos*, sicut Smyrnenses fecerunt in Epistola de Martyrio sui praesidis Polycarpi, „qui, ut scribunt [2]), nostris temporibus apostolicus et propheticus Doctor exstitit, atque catholicae Smyrnensis Ecclesiae Episcopus"; et Viennenses Lugdunensesque in sua pariter Epistola de Martyrio Pothini, „qui Episcopatum Lugdunensis Ecclesiae administrarat, nonagenario major" [3]). Immo ab ipsis ethnicis, tam judicibus, quam idolorum ministris, Christianorum cujusvis Ecclesiae primus minister et sacerdos cognoscebatur et dicebatur Episcopus, quemadmodum ex Martyrum Actis liquet, ita ut primis saeculis hoc nomen apud domesticos et exteros notissimum esset. Inde etiam mos evenit, ut Episcopi in Epistolis, aut in publicis monumentis et Conciliorum actis, sui Ordinis Sodales *Coepiscopos* salutarent, quorum exempla invenire licet in Epistol. S. Cypriani 52. edit Maurin., in Epistolis 16. et 22. Innocentii I. edit. Coustant., quorum Episcoporum in gregem sibi assignatum, qui quibusdam circumcinctus erat limitibus, ordinariam ex insti-

---

1) Antiquitat. Libr. IV. pag. 308.

2) Apud *Ruinart*. Acta Martyrum. Tom. I. edit. Galuras N. 16.

3) Apud *Ruinart*. N. 9.

tutione divina et Spiritus S. ordinatione venerati sunt omnes potestatem.

Quarto jam ineunte saeculo, sedata persecutionum procella, cum Dioeceses praesertim in Oriente amplitudine et numero, tam fidelium, quam clericorum, ita accreverint, ut unus ordinarius Episcopus multitudini et distantiae vix satisfacere potuerit, constituti sunt in villis et pagis extraordinarii Episcopi, dicti *Chorepiscopi* sive *Villani*, de quorum qualitate copiosius actum est a nobis in I. Tom. Parte I. Memorabilium ecclesiast [1]). Sane ex iis quosdam, tam in Oriente, quam in Occidente, fuisse facile largimur, qui Episcopi ordinarii jussu functi sint munere Commissariorum, Visitatorum, Periodeutarum, quin vero episcopali insigniti fuerint charactere. Quis enim quingentos illos *Chorepiscopos*, quos S. Basilius in Metropoli Caesariensi invenit, cum ad eam evectus est Cathedram, veros habebit Episcopos? Fuerint in principalioribus praesertim Cathedris inter illos soli Presbyteri aut Diaconi, si cui Balsamonis interpretatio Canon 14. Neocaesariensis placet; plurimos autem fuisse revera charactere Episcopos, et ex eorum actionibus, et ex caeterorum Episcoporum concessionibus clarissime constat; ipsi enim Metropolitae et alii Episcopi non raro Chorepiscopos nominant *Coepiscopos* aut *Vicepiscopos* et eos ad ministerii episcopalis functiones delegant [2]). Pauca haec, cum de his introductionis ergo, non ex professo agendum sit, sufficiant, quamquam multa, si necessum esset, addere possemus. Illud pro certo tenendum, Chorepiscopos subordinatos fuisse ordinariis suis Episcopis, nec sine eorum licentia aut auctoritate quidquam facere potuisse, aut si quid sine scientia et consensu Ordinarii tentaverint, graviter fuisse reprehensos.

Ad alteram classem reducendi sunt *Episcopi vagantes*, qui nec ulli certae sedi, nec regioni affixi sunt, sed quasi Missionarii ad gentium conversionem pergunt, aut quibus castra interdum

---

1) Denkwürdigkeiten der kath. Kirche. Bd. I. Th. II. pag. 386.

2) *Ferrandus* Diaconus in Breviario Canon. ideo Chorepiscopos interpretatur *Vicarios Episcoporum*.

dabantur, in quibus sua munia obirent, ut apud Gregorium Turonens. libr. IV. Hist. cap. 18. Cum illorum consecratio saepius dubia fuit, Concilium Vernense de anno 755. cap. 13. statuit: „De Episcopis vagantibus, qui parochias non habent, nec scimus ordinationem eorum, qualiter fuit; placuit juxta instituta sanctorum patrum, ut nec in alterius parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant sine jussione Episcopi, cujus parochia est. Et si hoc facere praesumpserint, ab officio suspendantur, interim quod ad Synodum exinde venerint, et ibidem secundum canonicam institutionem accipiant sententiam; nisi tantum pro itineris causa. Et si ullus clericus aut laicus talem Episcopum aut presbyterum defensaverit sine commeatu Episcopi, cujus parochia est, excommunicetur usque ad emendationem"[1]). Moris praesertim erat apud Scotos et Hibernos, ut plures Episcopos, sede carentes, crearent, qui deinde patria excedebant, et in exteris regionibus episcopalia munia exercebant, de quibus fuse agit Eckhart Tom. I. Franc. Oriental. pag. 273. Mabillonius Annal. Benedict. Tom. II. adjecit chartas quatuordecim Honaugiense monasterium concernentes; ex quibus cernimus, *Benedictum* sive Tubanum Scotum ibi Abbatem et simul Episcopum fuisse, et donationi Beati Abbatis, tempore Caroli M. imperatoris factae, subscribunt Monachi Honaugienses *Coniganus*, *Echoch*, *Sauthar*, *Maucumgito*, *Canicomrihe* et *Doilgusso*, Scoti et Episcopi omnes. Ne autem extra Hiberniam vel Scotiam ob doctrinam suspecti essent, plerumque ante omnia Romam ibant, suamque consecrationem a Pontifice Romano confirmari curabant, atque ab eodem licentiam gentibus Evangelium praedicandi accipiebant. Idem etiam faciebant, qui in Britannia sese Sedis Romanae placitis accommodabant. Hujus rei illustrandae causa egregium ex Usserii Antiquit. Eccles. Brit. affert exemplum laudatus Eckhart, quod etiam lucem afferre potest supra allegato Canoni Vernensi. Spectat Kentigerum, Glascuensem Episcopum: „Procedens inde vir Dei, in loco nomine Glasghu in multa abstinentia vixit; donec Rex et Clerus regionis Cambrensis cum caeteris Christianis, licet paucis,

1) *Harduini* Collect. Concil. Tom. III. pag. 1997.

ipsum plurimum renitentem in pastorem et Episcopum eligerent. Accito autem de Hibernia Episcopo, more Britonum et Scotorum, in Episcopum ipsum consecrari fecerunt. Mos enim in Britania inoleverat, in consecratione Pontificum tantummodo capita eorum sacri Chrismatis infusione perungere, cum invocatione Sancti Spiritus et benedictione et manus impositione. Insulani enim quasi extra orbem positi, emergentibus paganorum infestationibus, Canonum erant ignari. Ecclesiastica ideo censura ipsis condescendens excusationem illorum admittit in hac parte. Sanctus autem Kentigerus hujus ritus errori, ut infra dicetur, plenius satisfecit. Septies enim, *ut idem auctor ait*, Romam adiens, Sancto Gregorio, speciali Anglorum Apostolo, totam vitam suam, electionem et consecrationem et omnes casus, qui ei acciderant, seriatim enodavit. Sanctus vero Papa, illum virum Dei et Spiritus S. gratia plenum intelligens, consecrationem ejus, quam a Deo noverat provenisse, confirmavit; ipsoque multoties petente et vix impetrante, quae deerant consecrationi ejus, supplens, in opus ministerii a Spiritu sancto illi injuncti destinavit." Iam ex hoc Kentigeri sive Kiliani exemplo intelligere licet, quare nonnulla Galliae concilia saeculi VIII. de legitima Scotorum Episcoporum ordinatione dubitarunt. Illud tamen, judice Mabillonio [1]), fatendum est, ejusmodi vagantes sive ambulantes Episcopos multum profuisse Ecclesiae Gallicanae et Germanicae, tametsi nonnulli (ut fit) per speciem Evangelii praedicandi et nomine et officio abusi sunt suo. — Similem tramitem saeculo XI. ingressus Adelbertus, Metropolita Hamburgensis, qui praeter illos in Dania, Suedia, Norwegia constitutos Suffraganeos ordinavit alios vagantes, nulli Sedi affixos Episcopos, sicut refert Adamus Bremensis Libr. IV. Hist. Brem. Cap. 44., quos inter Scoti inveniuntur nonnulli. „Sunt enim, scribit, omnes Episcopi, quos ordinavit, viginti, quorum tres abortivi et extra vineam otiosi remanserunt, sua quaerentes, non quae Jesu Christi; quos universos gloriosus Archiepiscopus decenti honore habens, ad praedicandum Barbaris verbum Dei prece et praemio commonebat. Ita saepissime vi-

1) Praefat. in Tom. III. Actor. S. Benedicti. §. III. N. 34.

dimus eum septem aut quinque stipatum Episcopis, prout ipsum audivimus dicentem, absque multitudine esse non posse. Cum vero eos a se dimiserat, solito moestior esse propter solitudinem videbatur, numquam tamen carere maluit vel tribus, quorum frequentissimi erant *Trancquardus* Brandaburgensis, vir sapiens et comes Episcopi etiam ante Episcopatum. Alter erat *Joannes* quidam Scotorum Episcopus, vir simplex et timens Deum, qui, postea in Sclavoniam missus, ibidem cum principe Gothescalco interfectus est. Tertius *Bono* nomen habuit, incertum, unde natus aut ubi ordinatus, qui se tamen peregrinationis amore Hierosolymam ter accessisse jactabat, indeque Babyloniam deportatum a Saracenis, tandemque solutum multas per orbem transiisse provincias. Hos tres, cum non essent ejus Suffraganei, eo quod sedes proprias non haberent, majori fovisse clementia dicitur." Hucusque Adamus Bremensis, ex quo colligimus, Archiepiscopum Adelbertum ordinasse et sustentasse vagantes illos Episcopos non in subsidium sui oneris pastoralis, sed ad amplificandam Cathedrae Hamburgensis gloriam.

Ex classe horum vagantium primos fuisse Germaniae septentrionalis Apostolos, novimus omnes, qui, cum alicui certae sese dederunt regioni aut genti, facti sunt *Regionarii*, unde Kilianus Francorum, Willibrordus Frisonum, Suitbertus Saxonum et Boructuariorum, Bonifacius Germanorum Apostoli et Episcopi dicuntur, quibus ut socii quandoque se adjunxerunt alii, quorum mentio fit in Conciliis, e. g. Daddani in Concil. German. de anno 742. Qui omnes, si fixam sibi inter gentem conversam elegerint sedem erexerintque Cathedram, novum fundantes Episcopatum, ordinariis, annuente Pontifice Romano, accensebantur Episcopis, aut Suffraganeis vicini Metropolitae, maxime si ejus suasu aut jussu ad eam se converterint gentem infidelem vicinam. Eo enim modo missione S. Koniochi, tempore Dagoberti, Francorum regis, mediante saeculo VII., Ecclesiam Coloniensem sub Archiepiscopo S. Cuniberto sibi suffraganeam acquisivisse fertur Ultrajectinam. Qui Koniochus, ut narrat Suffridus Petrus de Frisiae scriptoribus, postea mortuis suis patronis, a gente ista repulsus, Vicarius in Pontificalibus Coloniensis Archiepiscopi factus est, quemadmodum

et Wittan vel Albinus, detrusus Burabargensis Episcopus, vices egit Lulli, Moguntini Archiepiscopi. Ut enim sic fugati Episcopi haberent, unde viverent, nec otiosi starent; eorum opera commode usi sunt caeteri Episcopi vel Archiepiscopi in suis functionibus episcopalibus, quorum multa exempla se dabunt in decursu hujus operis.

Quartae classis erant Episcopi *monasteriales*, quorum saepissime fit mentio in Historia monastica, sive in Actis Sanctorum Ordinis Benedicti et in Annalibus Mabillonii, sicut et in operibus clariss. Martene. „Cum enim, ut Mabillonii verbis utar [1]), Monasteriis illis cellae (ut vocant) Ecclesiaeque plures subjectae essent, nec facile reperirentur Episcopi, qui munia sacra ab Episcopis gerenda iis in locis exercerent, provisum eo est, ut ex Monachis unus ordinaretur Episcopus ad id praestandum.“ Qui *monasteriales* nomine et auctoritate Romani Pontificis functiones agebant inter suos pontificias, quin consensum ordinarii Episcopi expetere necesse habebant. Alii autem ejusmodi Monasteriales ab ipsis Episcopis, media praesertim aetate, constituebantur, qui ergo *vices Episcopi* agebant. Ne enim junioribus Monachis pro sacris suscipiendis ordinibus ansa praeberetur longius circumvagandi extra monasteria, nonnumquam alius Vicarius in Pontificalibus pro Clericis saecularibus, pro Monachis alius instituebatur, cujus rei exemplum dabimus suo tempore ex historia Leodiensi.

Tandem devenimus ad Episcopos *Titulares*, qui assumuntur ad titulum Ecclesiae exsistentis *in partibus infidelium*, carentis Clero et populo christiano. Eorum titulus non est perpetuus, sicut et eorum dignitas nec Praelatura, nec beneficium, sed simplex est officium, licet ordinatio eorum vere episcopalis sit. Tria plerumque ad ejusmodi Episcopum Titularem, docentibus Jurisperitis [2]), requiruntur: 1) ut sit assumptus ad titulum Ecclesiae particularis

1) Praefat. in Tom. III. Actor. loc. cit.

2) *Benedict.* XIV. de Synod. Dioecesan. libr. XIII. cap. XIV. N. 4. — *Franc. Ant. Dürr.* Dias. De Suffraganeis, seu Vicariis Generalib. in Pontificalibus Episcoporum Germaniae. Moguntiae 1782. p. 16.

certae ac determinatae, ita ut in sua assumptione accipiat saltem habitu potestatem juriadictionis in certam aliquam Ecclesiam Cathedralem vel Metropolitanam; 2) ut talis Ecclesia sit in partibus infidelium, scilicet non baptizatorum et hostium christiani nominis; 3) ut talis Ecclesia careat tum Clero, tum populo Christiano. — Variam horum *Titulatorum* Episcoporum originem dedimus Parte II. Tom. I. *Memorabilium* Ecclesiae Cathol. [1]). Hi, de quibus hoc in opusculo sermo est, specialiter exorti sunt post recuperatam a Saracenis terram sanctam et post expulsos ab orientalibus plagis catholicos Episcopos saeculo duodecimo et tertio decimo. Ne igitur orbati gregibus suis Pastores fame et siti premerentur aut nuditate, in partem sollicitudinis vocabantur ab aliis Episcopis, quorum Dioeceses in Germania praesertim extensae sunt populisque ditissimae, ut vicariam in pontificalibus functionibus praestarent tamquam Suffraganei operam, unde dicti sunt *Vicarii in Pontificalibus*, vel *Suffraganei*, aut *Proëpiscopi*, *Propontifices etc.* Porro cum ejusmodi Titulares sine ulla supremi in Ecclesia capitis, Romani Pontificis, notitia saepius ordinarentur et constituerentur Vicarii in Pontificalibus, Papa Clemens V. in Concilio Viennensi modo prohibuit ejusmodi ordinationem sine consensu Romani Pontificis; Concilium vero Tridentinum Sess. XIV. Cap. 2. angustioribus eorum functiones clausit limitibus.

Non extra aleam currere arbitramur, si hic novas a Concilio Tridentino et dein a summis Romanis Pontificibus circa Episcopos Titulares elatas constitutiones inserimus. Laudatum nempe Concilium Sess. XIV. Cap. 2. de Reformat. sancivit: „Quoniam nonnulli Episcopi Ecclesiarum, quae in partibus infidelium consistunt, clero carentes et populo christiano, cum vere vagabundi sint et permanentem Sedem non habeant, non quae Jesu Christi, sed alienas oves, inscio proprio, pastore, quaerentes dum per hanc sanctam Synodum, se pontificalia officia in alterius Dioecesi, nisi de loci Ordinarii expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum, exercere prohibitos vident, in legis fraudem

1) Denkwürdigkeiten der christ-katholischen Kirche. Bd. I. Theil II. pag. 380.

et contemptum, quasi episcopalem Cathedram in loco nullius Diœcesis sua temeritate eligunt, et quoscumque ad se venientes, etiamsi suorum Episcoporum seu Praelatorum litteras commendatitias non habeant, clericali charactere insignire, et ad sacros etiam presbyteratus ordines promovere praesumunt: quo plerumque fit, ut minus idonei et rudes ac ignari, et qui a suo Episcopo tamquam inhabiles et indigni rejecti fuerunt, ordinati, nec divina officia peragere, nec ecclesiastica sacramenta recte valeant ministrare: nemo Episcoporum, qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promoti ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso jure sunt suspensi." Hanc salubrem Concilii constitutionem specialiter postea confirmavit renovavitque Pius IV., data Constitut. Romae apud S. Petrum die 21. Maji, Pontificatus anno III., anno Domini 1562., sed et anno sequenti altera Constitutione minatus est ejusmodi inobedientibus Episcopis Titularibus poenas suspensionis a divinis et excommunicationis. Paulus IV. anno 1559. jusserat, ut regulares assumpti ad Episcopatum, impetrata a S. Sede resignatione suorum beneficiorum, redirent ad suos ordines, in quibus incapaces habeantur ordinum dignitatum. Clemens autem XI., renovans Constitutionem Alexandri VII. ejusque vim amplians, ordinavit, ut regulares assumpti in Episcopos Ecclesiarum positarum in partibus haereticorum vel schismaticorum non possint extra claustra vivere, sed subsint suis Superioribus, nisi specialem licentiam a Sancta Sede obtineant; neque possint exercere Pontificalia, ne permissu quidem Ordinariorum, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, reservatae Romano Pontifici; ac praeterea reassumpto habitu propriae religionis, non secus ac caeteri religiosi subsint

suis Superioribus regularibus, cum jurisdictio dictis Episcopis sit restricta et limitata infra fines Dioecesis et Vicariatus suae Ecclesiae administrandae, et ad actum visitandi respective. Tum additur formula juramenti, juxta quam Episcopi sic promoti jurare debent, se observaturos, quae praemissa sunt.

---

# CAPUT II.

## DE CHOREPISCOPIS ET IIS, QUI INTERDUM VICE FUNCTI SUNT ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS A SAECULO VII. AD XII. USQUE.

Duos in eadem civitate esse ejusdem jurisdictionis et ordinis Episcopos, severe interdixerunt antiquissimi Canones; verum adsumere sibi muneris sui socios et adjutores subordinatos, qui non propria, sed Superioris auctoritate agerent, licitum semper fuit Episcopis, praesertim cum vel infirmitatis causa, aut propter amplitudinem Diocecesis, aut ob negotiorum multitudinem solus et unus officiis suis satisfacere non potuit. Moris erat in Ecclesia, quod Metropolitae et Archiepiscopi, si necessitas postulabat, in subsidium vocarent Comprovinciales Episcopos, ideo jure dictos *Suffraganeos*, aut alios Monasteriorum Episcopos Abbates, aut sibi constituerent Vicarios, Chorepiscopos.

Saeculo VII. Koniochum, postquam a sede Ultrajectina repulsus fuerit, S. Cuniberti, Archiepiscopi Coloniensis, sub regibus Dagoberto et Sigeberto primarii administri, fuisse Suffraganeum et Vicarium, supra ex Suffrido Petro retulimus. Verum ante ipsum usum fuisse S. Cunibertum quoque S. Remaclo, Episcopo Abbate Malmudariensi, probabile est, cum ipse, ut clariss. Mabillonius in Annalib. Benedictinis narrat [1]), permissu et vice Cuniberti Malmundariensem consecravit Ecclesiam in honorem Dei Genitricis Mariae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctique Joannis Baptistae et S. Martini.

Saeculo VIII. S. Suitbertum, a Saxonibus ad Rheni littora retrusum, Coloniensibus Archiepiscopis in functionibus sacris sup-

1) Tom. I. Annal. ad ann. 648. N. 53.

petias tulisse, loquuntur monumenta, quae attulimus in nostro opere: *Antiqua et nova Archidioecesis Coloniens.* Tom. I. Sane ipsum fuisse Annonis, Archiepiscopi Coloniensis, quocum reginam salutavit Plectrudem, integerrimum amicum, facile credimus propter Bedae testimonium libr. 5. Histor. Anglic. Cap. 12. Conf. quoque Hagiographos Antverpiens. in Commentario praevio ad Vitam S. Suitberti §. VI. Tom. I. Martii aut Tom. VI. Actor. Select. Belgii.

Certiora affert saeculum IX. Annales enim breves Colonienses, quos primus edidit supra laudatus Joann. Georg. ab Eckart Franciae Oriental. Tom. II. pag. 917., nunc autem recusi leguntur Tom. I. Monument. German. histor. pag. 97., referunt, quod, cum Hadebaldus, Archiepiscopus Coloniensis, anno 830. infirmari coeperit, quarto post anno, nempe 834. ordinatus sit Hildebertus Chorepiscopus, qui viginti octo annis rem ecclesiasticam administravit. Ad annum enim 862. obiisse Annalista refert, quem coaevum fuisse, testantur verba, quae adjicit ad annum 846.: *Eo anno adivi Romam.* In Ecclesia S. Gereonis Coloniae ejus Hildiberti habetur Epitaphium marmori incisum, quo etiam dies mortualis notatur:

Hildibertus, meritis qui fulsit Episcopus
Almis, assumptus coelo, hoc jacet in tumulo.
Obiit anno Incarnat. Domini DCCCLXII. III. Kalend. Julii.

Antequam Annales citati mortem Archiepiscopi Hadebaldi notaverint, ad annum 842. habent: *Hilduinus accepit Episcopatum Coloniae.* Iste Hilduinus in nullo Archiepiscoporum Coloniensium catalogo observatur, imo ex vita S. Anscharii, quam scripsit Rembertus, colligere debemus, eo tempore Archiepiscopatum pastore fuisse viduatum, sive ut verba Remberti habent: *Colonia diuturno tempore absque benedictione degebat.* Quomodo ergo Hilduinus, vivente forsitan adhuc Hadebaldo, administrante certo Hildeberto Chorepiscopo, Episcopatum accipere potuit? Non infrequens eo erat tempore, ut Episcopi, si ipsi sua munera implere non potuerint, duos sibi eligerent Chorepiscopos aut Vicarios, unum pro Clero saeculari, alterum pro Monachis. Sic de Francone,

Leodiensium Episcopo, narrat Barthol. Fisen[1]): „Cum iis temporibus eorum Vicariorum, quos hodie Suffraganeos dicimus, opera necdum uterentur Episcopi nostri, Pontifices ipsi munia omnia obire soliti: Bericonem e Clero Leodiensi, et Eleutherium Lobiensem Monachum Franco Romam misit, ut iis Episcopis consecratis suas Pontificis vices per suam Dioecesin committeret.“ Sic quoque ab Hadebaldo graviter infirmo fuisse factum, conjicere licet, cum altefatus Hilduinus, qui et Heynianus dicitur (nomina enim propria hisce temporibus diversissime saepe expressa et scripta, novimus omnes), etiam Monachus ad S. Martinum Coloniensis fuerit. In Chronico enim S. Martini Coloniensis, quod editum est Tom. II. Monument. Germ. historic. pag. 214., recensentur Abbates ejusdem monasterii, ubi habetur: „Postea Abbas praefuit Heynianus, vir illustris, qui factus est Archiepiscopus Coloniae. Obiit DCCCXLVIIII., et duo Altaria instituit, et quodlibet uno terrae mansu dotavit. Item ex parte ipsius habemus annuatim XX. Solidos pro agenda ejus memoria V. Kalend. Octobris. Eo regente, destructum est monasterium a Nortmannis.“ In alio catalogo Abbatum breviori habetur etiam *Heynianus Episcopus*, et in veteri ejusdem monasterii Necrologio ad diem V. Kalend. Octob. notatur: „Obiit Dominus Heynianus, Episcopus Ecclesiae Coloniensis, Monachus nostrae congregationis, qui duo Altaria instituit et quodlibet uno manso dotavit anno DCCCXLVIIII.“ Exstat etiam Charta Egilberti de anno 845., quam descripsimus una cum supradicto catalogo breviore ex relictis Notatis Domini Forst, olim Capellani Coloniae ad S. Martinum; in ea Heynianus memoratur. Praestat integram hic inserere: „Ego in Dei nomine Egilbertus dono ad S. Martinum, egregium Pontificem, qui in monasterio Rinensi prope Coloniam civitatem patrocinari dignoscitur, ubi vir venerabilis Heynianus Episcopus et Abba praeesse videtur, donatumque volo in perpetuum salam meam cum terra aratoria et petiola vineae [2]) ad lacum dictae civitatis in loco, qui dicitur *Hille*, sitam, pleno jure a die praesenti et deinceps possidendam, ut augmentis sanctae congregationis Monachorum ibidem Deo

1) Histor. Leod. libr. V. pag. 120.

2) Praediolum rusticanum et particula vineae.

servientium proficiat stipulatione subnixa. Actum publice in praedicto Monasterio anno V. regni Domini nostri Lotharii Imperatoris gloriosi, die VII. Kalend. Septembr. Signum Egilberti, qui hanc donationem fecit. Signum Ecmundi Comitis. Signum Kinaldi, Egisheri, Heinberti, Epholdi. Bartolfus Monachus scripsit.» Dubitat clariss. Mörckens in Conatu chronolog. Episcop. Coloniens., an Heynianus noster sit iste *Haiminus Episcopus*, qui edicto restitutionis Ebbonis Remensis apud Flodoardum libr. II. Hist. Remens. cap. 20. subscripsit. Ast haec restitutio facta est anno I. Lotharii, sive anno 841., quo Heynianus nondum erat Episcopus.

Altera saeculi hujus parte gravi agitabatur Ecclesia Coloniensis procella, cum Guntharius Archiepiscopus propter instructum regis Lotharii divortium a Nicolao Papa I. et suspensus fuerit ab officio, et degradatus. Quis eo tempore vices gessit Archiepiscopi? Annales id tradunt Xantenses Tom. II. Monument. German. hist. pag. 233.: «Eo tempore Luitbertus, Saxoniae ortus, depositi graduum et impositione chrismali Guntharii parochiam ab orientali parte procuravit.» Luitbertus hic Monasteriensis erat Episcopus, qui divortii fautoribus minime consensit. Ab altera autem parte episcopalia officia egit S. Hungerus, Ultrajectinus Episcopus, qui ob destructam suam Cathedram prope Ruremondam in finibus Dioecesis Coloniensis demorari solebat. Vicinus enim Franco Leodiensis, Lotharianae dissolutionis socius, Romam pariter citatus fuit.

Easdem in officio suppetias tulisse Metropolitano Coloniensi ejus Comprovinciales, quamquam nullibi legimus, audacter tamen affirmamus, quia et antecedentia facta et sequentia ejusmodi morem demonstrant. De extraordinariis enim Episcopis nullibi occurrit mentio, nisi forte in Vita S. Brunonis Archiepiscopi, ubi memoratur Gotfridus Episcopus, quem Bollandiani habent Spirensem[1]), *Simonis* autem ut extraordinarium, maxime ductus Chronicis Spirensibus, quae unanimiter referunt, Reginbaldum vel Raimbaldum Spirensem obiisse anno 956., et tunc successisse

1) Tom. V. Octobr. pag. 773. lit. D.

Gotfridum, qui [1]) ergo ut Episcopus anno 953. electionem Brunonis curare non potuit. Verum in nostra Conciliorum Germanic. historia errorem hunc Chronicorum correximus, cum Gotfridus Nemetensis vel Spirensis inter Episcopos Concilii Augustani de anno 952. memoratur [2]). Praeterea ex Annalibus Weissenburgensibus Tom. VI. Monument. German. histor. edocemus, Reginbaldum, Weissenburgensem olim Monachum, abiisse ad Superos anno 950., quo et Gotfridus electus est.

Saeculo XI. Robertus, Episcopus Mimigardefordensis aut Monasteriensis sub annum 1042. factus, teste Schafnaburgensi et Kleinsorgio, vicariam in Pontificalibus operam praestitit Hermanno II., qui cognominatur Nobilis, Coloniensi Archiepiscopo. Nam cum illustris Comes Palatinus Erenfridus et Mathildis, uxor ejus, insigni zelo pietatis clari, in Brauweiler recens fundassent monasterium Ord. D. Benedicti, *Anno* MLI. *Indict.* IV. *duodecimo Kalend. Januarii, Tegeno Abbas consecrari fecit cryptam cum tribus Altaribus per R. D. Episcopum Mimengardevordensem Robertum, Coloniensis Archiepiscopi Hermanni* II., *nostrorum fundatorum filii, vices gerentem* etc. Ita habent monumenta illius Monasterii. — Mortuus est hic Robertus post praeclare administratum Episcopatum suum anno 1063. exeunte circiter, quod obiter moneo, ne quem fallat Kleinsorgius referens, anno 1050. a Friderico (qui ei successisse noscitur) Mauritianum ante urbem Monasteriensem situm Collegium fuisse fundatum, siquidem Friderico isti, Cancellario Imperii, repulsam passo in Magdeburgensis Archiepiscopatus, ad quem canonice erat electus, petitione, Imperator de Monasteriensi Ecclesia, commodam per mortem Roberti vacante (ut erudite Reverendiss. D. Bern. Malinckrot, Decanus Monasteriensis, in suis Archicancellariis pag. 66. annotavit), benigne providit, annitente S. Annone, Friderici olim Collega in Paderbornensi Gymnasio, quod ea aetate studiis ma-

---

1) *Simonis* historische Beschreibung aller Bischöfe von Speier. Freiburg im Breisgau. 1608. p. 25., quem sequitur: Kurzgefasster Rückblick auf die Bischöfe von Speier. 1802.

2) Pragmatische Geschichte der Concilien. III. Band. pag. 292.

xime theologicis tota Saxonia erat celeberrimum. Etenim Fridericus VIII. Kalend. Novembr. ann. 1062. Indict. II. Ratisbonae adhuc fungens Cancellarii munere diploma recensuit, quod exstat in Salisburgensi Metropoli pag. 367. Tom. I. Anno vero sequenti 1064. VII. Kalend. Martii jam alius Cancellarii munere functus fuisse probatur ex diplomate Einsidelensi Abbati concesso, quod ab ejus loci doctiss. historico Christophoro Hartmanno ad dictum annum recitatur. Atque ita in Friderico hoc quoque evenit, ut, quo tempore Episcopatum adiit, eodem Cancellariatu imperiali abierit, quod olim usitatissimum fuisse, laudatus ante Reverendiss. Malinckrot non uno loco citati operis observavit. Porro Roberti hujus, de quo hic praecipue sermo est, nomen reperitur etiam in catalogo Episcoporum ab anno 1057. usque ad annum 1075. defunctorum, quem a Gundekaro Episcopo confectum Gretserus in Eystetensibus Praesulibus publicavit. Sub exitum autem anni 1064. vita fuisse functum arbitratur Nicol. Schaten Tom. I. Annal. Paderborn., ubi etiam commemorat, quod sub ipso urbs Mimigardia propter egregiam Cleri disciplinam Monasterium sit dictum, et sic etiam Episcopatus Monasteriensis.

Ejusdem Hermanni Nobilis temporibus invenitur fuisse Vicarius in Pontificalibus Engelhardus sive Engelbertus, Mindensis Episcopus, cujus cathedralis Ecclesia cum omnibus ornamentis et donariis, praesente et spectante Henrico IV., in die S. Vincentii M. 1061. concremata est. De hoc legitur in vetusto libello Brauvilerensi, quod Capella, quae est in ambitu, in honorem S. Medardi consecrata sit circa tempora Hermanni II. et dedicata ab Engelhardo Episcopo, Coloniensis Archiepiscopi Suffraganeo, II. Kalend. Decembr. ann. 1061. Deinde idem cum S. Annone, consanguineo suo, interfuit dedicationi templi Brauvilerensis.

Sub eodem Annone Hetzelinus, Scarensis Episcopus, vices egit non unas in consecrandis locis. Iste autem, eodem tempore a sua Ecclesia exsul, moras traxit in Germania. In Synodali enim Epistola Adalberti, Hamburgensis Archiepiscopi, legimus apud Adamum Bremens. Lib. IV. cap. 42.: « Nunc fraternitatem vestram latere nolo, quid molestiae mihi *Adalwardus* Episcopus intulit, quem, vobis testibus, qui ejus ordinationi interfuistis, Sictonensis

Ecclesiae consecravi Pontificem, quem dum barbara gens sibi praeesse nollet, Scariensem (Scarensem) Ecclesiam invadere coepit.» Sine dubio iste *Hetzelinus* ille est, quem cum dicto Adalwardo pro Suedia consecratum Adamus Bremensis dicit *Acilinum*. Hic ergo anno 1069. VII. Indict. IV. Kalend. Septembr., videlicet die decollationis S. Joannis Baptistae, adstitit Archiepiscopo Annoni in dedicatione templi S. Gereonis in Colonia. Tabula enim habet: *Anno* MLXIX. *indict.* VII. *quarto Kal. Septembr. videlicet die decollationis S. Joannis Baptistae dedicatum est templum S. Gereonis ab Annone Archiepiscopo, auxiliante eidem Hetzelino.* — Alius ejus operae testis est Conradus, Brauveliensis Monachus, in vita S. Wolphelmi (filii Frumoldi, comitis de Nil), Brauveliensis Abbatis, relatus apud Hagiographos Scerium, Henschenium et Mabillonium 22. Aprilis. « Quadam die, inquit cap. 26., Wolphelmus cum secretorum suorum consciis oratorium, ut tunc falso credebatur, Brauwilerensis parochiae in villa Kirchedoro (nunc Sinteren vocatur, nam pagi Sinteren et Kirchdorf vicini in unum coaluerunt) nomine, oraturus intravit: et ecce, solo prostratus, carere locum sanctorum patrocinio, Spiritu Sancto revelante, didicit. Qui surgens ab oratione, cum secum consistentibus accessit ad Altare et, velamine subducto, cum omnia diligenti intuitu perlustrasset, nihil omnino vel sub sigillo vel rimarum scissuris praeter nidificationes vespertilionum et telas reperit aranearum. Unde nimirum, ut par erat, mente consternatus, absque morarum dilatione Coloniensis Ecclesiae praesulem adiit, illi, quae gesta fuerant, ordine exposuit: cujus mentis dolori ille condolens, datis etiam Sanctorum reliquiis, evocatum ad se direxit cum eo quendam *Hetzelinum, Scarnensis*[1]) *Sedis Antistitem*, ut sua vice praedictum locum, qui Episcopii sui Dioecesis erat, Deo consecraret. Qui libenti animo ejus obtempe-

1) Henschenius in Annot. ad h. l. corrigit, sed erronee: «Imo *Scardensis* vel *Scardonensis:* nam Scarna in notitiis antiquorum Episcopatuum nulla est. Scardo autem vel Scardona fuit olim civitas Episcopalis in Dalmatia sub Archiepiscopo Spalatensi, a quo huic Coloniensi Chorepiscopo titulus fuit.» Oblitus est hic vir lectissimus, quae ipse de Ezelino annotavit ad vitam S. Anscharii §. 12. Tom. I. Februar. pag. 402.

rantes imperio, congregata multitudine fidelium, divinae religioni dedicaverunt idem oratorium, statuentes ibi duo Altaria. Superius quidem in honore Archangeli Michaëlis, inferius vero in veneratione habenda B. Martini, Christi Confessoris... His ita rite celebratis, redierunt utrique ad propria, Deum collaudantes in Jubilo.» Idem Hetzelinus in MS. quodam Brauvilerensi narratur consecrasse Capellam S. Maximini in Abbatia, et legitur in catalogo Episcoporum, Actis SS. Anscharii et Remberti apud Philippum Caesarem et Henschenium l. c. adjuncto, in quo ordine duodecimus dicitur *Ecilinus, Episcopus Scarensis.*

Sub tribus ergo Archiepiscopis, Annone, Hildulpho et Sigewino Hetzelinus Vicarium in Pontificalibus egit. Ad annum enim 1088. occurrit nobis Theodo, Brandeburgensis Episcopus, qui consecravit Ecclesiam S. Georgii[1]) prope insulam S. Swiberti. In catalogo Brandeburgensium Episcoporum nullus quidem invenitur Theodo, qui inter Volcmarum II. et Harbertum inserendus esset. Forte ob turbatam eo tempore rempublicam aut ob alias, nescio, quas causas adiit S. Suitberti insulam aut visitavit monasterium. Diu enim non egisse Vicarium, conjicio inde, quia anno 1102. in eadem Ecclesia S. Suitberti Altare consecravit Henricus, Episcopus Paderbornensis.

Non multo post Erlongus, ab anno 1106. usque ad 1121. Episcopus Wirceburgensis, propter insidias Henrici V. Imperatoris Coloniae apud Fridericum Archiepiscopum exsul degens, Pontificalia in Dioecesi Coloniensi munia obivit. Exstat enim in monte Regiomagen Sacellum S. Mariae Magdalenae, et in eo inscriptio ex multis ejus praeclaris operibus memoriam illius conservans: «Anno Domini MCXVII. Indict. VIII. dedicata est Crypta hujus sacelli per venerabilem Dominum Erlungum, Wirceburgensis Ecclesiae Episcopum, et hoc mandato Friderici, Archiepiscopi Coloniensis, in honore S. Dei Genitricis semper Virginis Mariae, S. Thomae Apostoli, S. Stephani Protomartyris, S. Martini, S. Ni-

1) Exstitit olim Sacellum S. Georgii in parochia Angermundt, prope Caesaris vel S. Suitberti insulam, quod postea parochiae incorporatum est.

colai et omnium Sanctorum cum indulgentiis solitis.» Eodem forsitan tempore, quo Episcopi Germaniae ad magnam Synodum Coloniae congregati erant[1]), Bruno, Spirensis Episcopus, aliud vice Archiepiscopi dedicavit Sacellum, nempe in Frauvillesheim cis Indam flumen, in honore Ss. Trinitatis et B. M. Virginis, Dominica infra Octavas Nativitat. B. Mariae V., ut habet vetus inscriptio in Gelenianis observationibus.

Nonnumquam et honoris causa Fridericus Coloniensis licentiam dedit aliis Episcopis, sua in Dioecesi episcopales exercendi functiones. Sic Cuno Venerabilis, ex Abbate Sigebergensi factus Episcopus Ratisbonensis[2]), vice Archiepiscopi recens extsructam consecravit Ecclesiam Montis Regiomagensis, postea (sub Reinoldo Archiepiscopo ann. 1164.) ob ibi depositas S. Apollinaris reliquias dicti *Mons Apollinaris*, quam Ecclesiam idem Fridericus Sigebergensi addixit monasterio[3]). — Magna illi Cunoni et B. Ruperto, Abbati Tuitiensi, intercessit necessitudo ac familiaritas, quam declarant S. Abbatis opera Cunoni dedicata et typis excusa[4]), quibus addere licet ex MS. praeclarum vel Episcopi encomium, vel scribendi inter Sanctos et pios viros argumentum: «Scripsisti mihi, Cuno, Dei gratia Ecclesiae Ratisbonensis Praesul venerabilis, et abundantia suavitatis, quae in te est, memoriam eructasti verbis ejusmodi . . . His praemissis, quibus vel qualibus posset etiam ab homine aspero, nullisque mollibus vestito, benevolentia cum attentione efficaciter comparari, protinus subjunxisti etc.... Et benevolus ego

1) Conf. Pragm. Geschichte der deutschen Concilien. IV. P. p, 31. — Bruno erat Episcopus ab anno 1110. usque ad 1123.

2) Sedit ab anno 1126. usque 1132.

3) De ampliori sub Brunone III. (ann. 1191. usque 1193.) Achiepiscopo, et Imperat. Henrico V. sive juxta alios VI., aedificata Ecclesia vide Bollandianos in historia translation. S. Apollinaris. Tom. V. Julii. pag. 377.

4) Duas dedit S. Rupertus ad Cunonem, adhuc Abbatem Sigebergensem, epistolas. Prima praefixa legitur Tomo I. oper. S. Ruperti, altera exstat ad finem Tomi II. et est explicatio Regulae S. Benedicti. Ad Cunonem ut Episcopum nulla hucusque nota est epistola praeter allatum fragmentum.

et attentus litteras ipsas relegi, diuque ancipiti animo variatus, et loquererne, an silerem, dubitabundus, tandem invocato Domini nomine, qui corda fidelium suorum Spiritus S. illustratione docuit, quatenus daret et mihi in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere, hoc initium arripui de fontibus Israël, de fontibus benedictionis, qua benedixit Israël Moyses, homo Dei: *Benedictus, ait, in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tinguat in oleo pedem suum: ferrum et aes calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuae, ita et senectus tua. Non est Dominus alius, ut Deus sanctissimus; ascensor coeli auxiliator tuus. Habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna; ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere*[1]). Hoc, inquam, initium arripui, arbitratus, quod plurimum congrueret beatitudini. Aser quippe beatus interpretatur, et secundum hoc nomen tibi beatitudo est, et bene tibi erit. Habenti hoc testimonium, quod placens esse volueris et placens fueris fratribus tuis: semper enim utilitatem fratrum tuorum in te tractasti, ore advocasti, manibus attrahere laborasti, et labor tuus non fuit inanis; tinguas igitur in oleo pedem tuum, laetificans in eadem charitate sinum tuum, et interim sit ferrum et aes calceamentum tuum, forte in operatione sicut ferrum, sonorum in praedicatione sicut aes exemplum tuum; et quia laus omnis in fine est canenda, sicut dies juventutis tuae, ita sit et senectus tua; sicut coepisti, ita et finias, imo et abundes in plenitudine dierum, sicut senex Abraham. Quid multa? Ascensor coeli auxiliator tuus, qui, ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, et dedit dona hominibus, et alios quidem posuit Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores et Doctores, et in istis benedictionibus te cognovit et conservavit tibi misericordiam suam positione, ut dono pastoralis officii ipse ejiciat a facie tua inimicum, scilicet ovibus tibi commissis insidiantem lupum diabolum, dicatque: *Conterere.* Cujus dixisse fecisse est, quia videlicet solo verbo ejus caput antiqui serpentis conteritur, venter disrumpitur, cauda sicut cedrus stricta vel nidosa

1) Deuteron. XXXIII, 24.

confringitur V. R.» Haec MS. pervetustus. — Cunonis diem obitus 19. Maji indicat Necrologium Sigbergense: «XIV. Calend. Junii depositio Venerabilis Patris nostri Cunonis, Episcopi et Abbatis.» Inscriptio autem sepulchralis ejus sive Epitaphium, quod in monte, quem consecraverat, olim legebatur, vel legentis, vel describentis inscientia fallit. Sic enim habet: «Anno Domini MCXX. obiit Reverendus Dominus Cuno, Epicopus Ratisbonensis et Abbas Sigebergensis, fundator hujus monasterii, vitae sanctimonia praeclarus.» In codice enim diplomatico Episcoporum Ratisbonensium, quem anno 1816. edidit Thomas Ried, leguntur adhuc anno 1130. Chartae Cunonis Episc. — Ad hunc annum mortem Cunonis fixit Clar. Hundius in Metropoli Salisburgensi, quem secuti sumus in Catalogo nostro omnium Episcoporum Germaniae Part. I. Histor. Concil. German., qui calculus tamen est erroneus, cum Cuno juxta Hansiz[1]) et laudatum Ried in serie Episcoporum Ratisbonensium, codici chronolog. diplom. praefixa, diem extremam clauserit anno 1132.

Sic pariter Praemonstratensium Patriarcha S. Norbertus, laudati Cunonis Abbatis Sigbergensis amicus, ut fidem facit datum pro Coenobio Fürstenberg Sigbergensis familiae diploma Norbertin. apud Bollandianos[2]), Xantensis Canonicus, rogatus a Friderico Coloniensi, familiari suo, ob titulum, ut remur, indigenatus et alumnatus, novam anno 1128. absolutam Ecclesiam Xantensem dedicavit: «Anno Domini MCXXVIII., Indict. sexta, XI. Kalend. Augusti, quarto anno imperii Lotharii, consecratum est hoc templum S. Victoris a Norberto, Magdeburgensis Ecclesiae Archiepiscopo et hujus Ecclesiae Canonico, rogatu Friderici, Coloniensis Sedis Archiepiscopo, Praeposito Godefrido et Godezone Decano, in honore S. Crucis et perpetuae Virginis Mariae et aliorum . . . et principaliter S. Victoris, patroni nostri, et beatissimae Mariae Magdalenae»[3]). — Decessit ex hac vita S. Norbertus anno 1134., sexta Junii, et tribus fere annis prior Fridericus, Coloniensis Archiepiscopus.

1) Tom. II. German. Sacr. pag. 230.

2) Analect. Norbertin. Cap. III. Tom. I. Junii. pag. 868.

3) Conf. *J. Mooren:* Alterthümliche Merkwürdigkeiten der Stadt Xanten. II. Theil. Seite 19.

Quis Archiepiscopi Brunonis II., cum in comitatu Imperatoris Italiam lustravit a sede sua plerumque absens, vices supplevit pontificales, nobis non successit invenire: forsitan unus ex Suffraganeis ordinariis. Sane Episcopos Monasteriensem et Osnabrugensem eo tempore Coloniam nonnumquam salutavisse, historica loquuntur monumenta. Sub Arnoldo I. Philippum Osnabrugensem vicem gessisse Coloniensis Archiepiscopi, testis est tabula consecrati ab ipso Altaris in Ecclesia S. Gereonis Coloniae: «Philippus, Osnabrugensis Episcopus, consecravit Altare cryptae S. Gereonis loco motum, Kalend. Novemb.» [1]). Sed praeclariora ex Arnoldi I. Pontificatu licet afferre monumenta. Vetus enim Monasterii Brauvilerensis inscriptio sic habet: «Albero Episcopus anno MCXLI., XI. Kalend. Februarii consecravit in Monasterio beatorum Nicolai et Medardi Brauvilerensi Altare S. Martini, temporibus Arnoldi, ejus nominis I. Archiepiscopi Coloniensis, et Aemilii de Brabantia Abbatis Brauvilerensis» [2]). Cujus Sedis Episcopus Albero fuerit, inscriptio non addit. Si conjectare fas est, non imperite dixerit quispiam, hunc Alberonem esse, qui in Gemblac. auctario et in gestis Leodiensium, ejus nominis II. Leodiensis Episcopus, multum operae apud Romanam imperialemque Curiam posuit pro Episcopii suis bonis, dolo ac vitio praereptis, multa etiam itinera suscepit ad eadem recuperanda, et tandem anno 1141. ineunte, tertia vice Roma rediens, Coloniam transiens, Leodii suos convocans milites, Deo et S. Lamberto confisus, Bullionium castrum XVI. Kalend. Septembr. ejusd. anni coepit obsidere. Et quia humanis viribus majus erat opus propositum, VI. Kalend. Septembr. S. Lamberti corpus in castra transtulit, qui Bullionium brevi, punitis occupatoribus ejus, ad deditionem compulit et XI. Kalend. Octobr. triumphali pompa in castrum est invectus.

Decennio post, cum Conradus Rex, ut narrat Otto Frisingens. [3]), tam de subrogatione Coloniensis, quam super determina-

1) Philippus sedit ab 1142. usque 1173.

2) Juxta Chronic. Brauvilerens. apud *Würdtwein*. Nov. Subsid. diplomat. Tom. V. pag. 267. erat Aemilius ab anno 1135. usque 1148. Abbas.

3) Libr. I. de gestis Friderici I. cap. 62.

tione illius controversiae, quae in Trajectensi Ecclesia agitabatur, examen laturus, inferiores Rheni partes adiit, habens secum ex Bajovaria Ottonem Frisingensem, ex Saxonia Albertum Misnensem, Episcopos, postquam Coloniae Arnoldi II., Comitis de Weda, Archiepiscopi Coloniensis, electionem confirmavit, solemnitati interfuit dedicationis Ecclesiae Collegii Rheindorpensis, quam cum aliis vicinis Episcopis supra laudati celebrarunt Misnensis et Frisingensis. Tabula enim ejusdem Collegii, uncialibus litteris inscripta, sic habet: „Anno Dominicae Incarnationis MCLI., VII. Januarii, Altare hoc pro Capella a venerabili Misniensium Episcopo Arnoldo (Alberto), a venerabili Leodiensium Episcopo Henrico in honorem B. Nicolai ... Papae et B. Principis Apostolorum Successoris, Altare vero sinistrum in honorem B. Laurentii Martyris et omnium caeterorum, Altare vero dexterum in honorem B. Stephani Protomartyris et omnium Martyrum, Altare vero medium in honorem Apostoli Petri, superioris autem Capellae Altare in honorem beatissimae matris Dei semper Virginis Mariae et Joannis Evangelistae a venerabili Frisingensium Episcopo Ottone, Domini Romanorum Regis Augusti fratre, ipso eodem Rege praesente, nec non Arnoldo piae recordationis fundatore et Coloniensis Ecclesiae electo, praesente etiam venerabili Corbiensium Abbate Domino Wibaldo, Abbate Stabulensi Waltero, majoris Ecclesiae in Colonia Decano, Bonnensi Praeposito Archidiacono Gerardo, venerabili viro Sigebergensium Abbate Nicolao, multis etiam personis tam e nobilibus, quam ministerialibus, dotata quoque ab eodem fundatore et fratre suo Burchardo de Witha et sorore sua Hadewige Abbatissa Assniensi et Gerresheimensi Abbatissa, sorore sua hic electa Abbatissa.“ Quot in serie Episcoporum Misniensium et Abbatissarum Canonicarum lacunae hoc unico expleri possint monumento, nemo rei historicae peritus non videt. Albertus enim in Chronicis Misniensibus plerumque, teste Sigism. Calles, omittitur. Inde etiam liquet, Arnoldum, electum Archiepiscopum, currente Januario anni 1151 in Germania, non in Italia fuisse, ut nonnulli colligere volunt ex Bulla Eugenii III. Papae, *data Signiae per manus Bosonis S. R. E. Scriptoris, VI. Idus Januarii, Indict. XV. Incarnationis, Dominicae anno MCLI., Pontificatus vero Domini Eugenii Papae III.*

*anno VII.* — Ex Indictione et anno Pontificatus, observante Pagio in Breviario Gestor. Rom. Pontif.[1]), apparet, hanc Bullam anno MCLII. datam, ideoque et Eugenium annum prorogare usque ad diem XXV. Martii.

Quoties porro vel exsules, vel profugi Episcopi, Coloniam refugii civitatem petentes, auxiliatrices absente vel nondum consecrato Archiepiscopo egerunt functiones? Sic Marsilius, in Tuscia ad S. Sebastianum quondam Episcopus, quod in magno schismate anno 1159. contra Alexandrum III. conflato adhaesisset Antipapis, anno 1175., finito certamine, ab Alexandro Papa depositus, Coloniae multis annis supervixit, quo tempore, annuentibus Archiepiscopis, nonnumquam pontificalia munia obiisse ex eo licet colligere, tum quia Archiepiscopi Colonienses fere bellis italicis occupabantur, et Reinaldus sedem Coloniensem quinquennio sine consecratione possedit, tum quod ad eundem, cum jam juxta S. Severini Ecclesiam sese inclusisset, tamen magni concursus hominum fieri consueverunt ad conscientiarum suarum pacem confessione et aliis ab eo praescriptis remediis impetrandam. Memorabile est, quod ex ejus ore acceptum refert de eo Caesarius Heisterbacens. libr. VII. Dialog. cap. 50., videlicet piam foeminam Coloniae assuetam in dies D. Virgini quinquagies salutationem angelicam recitare, cum totidem veniis, eam meruisse gratiam, ut, prolato sacrae Virginis nomine, os ejus omni melle et saccaro dulcius imbueretur; Marsilium Episcopum, cum id ex ea comperisset, imitatum pietatem, idem praemium pietatis retulisse; ab hoc vero Cisterciensis Ordinis virum (ipsum credimus fuisse Caesarium, humili silentio se tegere solitum) eandem pietatem pari fructu ac praemio didicisse. Legas, velimus, pia ipsius Caesarii loco citato verba, si non ipsum esse, qui a Marsilio didicit, deprehendas. — Habes igitur, Colonia! etiam hoc in caeteris, quibus gloriari potes titulis, quod in te una de filiabus tuis invenit, quod toto orbe celebratur Rosarium Virginis quinque decadibus distinctum, quod divus Pater Dominicus et filii ejus triplicatum deinceps sanctissime propagarunt.

---

1) Tom. III. pag. 27.

Sic quoque Bertramus, Metensium Episcopus, referente ad ann. 1187. Godefrido Monacho Pantaleonita, quod Volmarum, contra voluntatem Imperatoris a Papa consecratum Trevirensem Archiepiscopum, hospitio suscepit, et quod Synodum ejus dictus est adiisse, per Wernerum de Bolant, nuncium Imperatoris, ejectus de Episcopatu, Coloniae apud S. Gereonem, ubi etiam Canonicus ante fuit, privatus vixit. Sed de eo, uti de Marsilio, nulla Suffraganei muneris certa monumenta praeter credendi pronitatem afferre possumus. Immo probabilius est, principales functiones pontificales semper exercuisse ordinarios Provinciae Suffraganeos, qui et ipsum Metropolitam consecrare soliti erant; ab illis enim, qui vices gesserunt Archiepiscoporum, profugis Episcopis, ceu extraordinariis Vicariis, ordinationes Presbyterorum aut Diaconorum umquam fuisse factas, vix legimus, sicut ejusmodi exercitium nec licitum fuit olim Chorepiscopis aut ipsis exauctoratis Metropolitis. Mirum quidem visum est nonnullis, exauctoratum Archiepiscopum Adolphum Coloniensem vices Engelberti Archiepiscopi obiisse, sed, quod bene notandum est, non in ordinandis presbyteris aut diaconibus, sed tantum in consecrandis Ecclesiis aut Altaribus. Nam ut in Abbatum Brauvilerensium historia habetur apud Gelenium [1]): „Adolphus Archiepiscopus, qui fuit filius Brunonis III., Archiepiscopi Coloniensis, consecravit anno MCCXX. Altare Sanctarum Virginum in crypta, quod olim erat Altare S. Thomae Apostoli.“ Attamen hanc Adolpho specialem Innocentius Papa III. largitus est ex indulgentia facultatem: „Post rigorem justitiae tibi rorem misericordiae instillare volentes, fraternitati tuae auctoritate praesentium indulgemus, ut, cum de mandato nostro non fueris pontificali ordine degradatus, sed ab officio tantum pontificali remotus, liceat tibi cum pontificalibus celebrare, pallio duntaxat excepto, et ex permissione Pontificis vel Abbatis, in cujus Dioecesi vel Coenobio fueris constitutus, Clericos vel monachos tibi canonice praesentatos ad minores Ordines promovere, benedicere vestes et vasa sacrare“ [2]). Talem autem

1) Histor. S. Engelberti. pag. 308.

2) Epist. Innocentii III. 177. Tom. II. edit. Baluzii. pag. 490.

facultatem minime assecutus est exauctoratus post Adolphum Theodoricus Archiepiscopus, eo quod motu audaci contra interdictum Papae in coena Domini chrisma confecerat.

Sub hisce exauctoratis Archiepiscopis, imo et sub eorum successore Engelberto Coloniae moras traxit Bernardus de Lippia, Seloniensis, alias Lealensis in Livonia Episcopus, de quo, antequam ejus vicarias functiones memoremus, pluscula dicenda sunt, eo quod optimus et sanctus vir non tractatur pro merito a Pideritio, veternoso Calvinista, in Chronico Comitum Lippensium. — Fuit igitur natus patre et avo Bernardis, avia Sophia Arensbergica, filia Friderici bellicosi († 1123.), matre vero Petronilla de Are e Dioecesi Coloniensi. Avus est fundator Comitum Lippiae, antea dux copiarum Lotharii, Saxoniae ducis, sub quo militavit adversus Henricum V. Imperatorem filium pro Henrico IV. Imperatore sub annum 1106., teste Brunswic. Chronico, et eandem militiam sequentibus annis continuavit, siquidem anno 1121. pro Theodorico de Virnenberg, legitimo Monasteriensium Episcopo, Monasterium obsedit et ad deditionem coëgit [1]); unde ei et posteris nata est in Westphalia sedes. Nam Theodoricus, Episcopus Monasteriensis, operae navatae praemium dedit ei in feudum Comitatum Sassenberg; et Fridericus Arnsbergicus, ejusdem partis sectator, filiam Sophiam cum dote dedit eodem vel praecedente tempore, sed et Lotharius, Dux Saxoniae, postea Imperator, eidem Bernardo de Lippia Comitatum Haholti Comitis dedit, olim S. Meinwerco, Paderbornensi Episcopo, donatum. Hoc genuinum initium est potentiae Comitum de Lippia in Westphalia ex Episcoporum, Monasteriensis et Paderbornensis, bonis, contra fabulosum Pideritii commentum, qui, ut Episcoporum potentiam temporalem rodat et carpat, ex cerebro suo promit dominos de Lippia et Carolo M. veluti aliena ova supponit. Vidit hoc initium Krantzius [2]), quem Pideritius (sus Minervam) audet docere. Idem initium vidit Kleinsorgius, vir doctissimus et Archivorum in suo prolixo offi-

1) Ea in obsidione Ecclesia major funditus combusta est, ut narrat Urspergensis Abbas ad ann. 1121.

2) Libr. V. Metropol. cap. 32. et libr. VII. cap. 8.

cialatu per universam Westphaliam Inspector et ecclesiast. historiae scriptor, qui ex Comitatu Haholti ducto argumento ostendit, tempore S. Henrici Imp. anno 1011. nondum fuisse eo loci, ubi nunc reperiuntur, Comites de Lippia, quod ipsum et aliis e litteris, Lothario Imp. antiquioribus, convicit, in quibus nec umbra Comitum de Lippia apparet, sed alii earum terrarum domini, quas nunc Comites Lippiae tenent. Pervenit autem hic Lippiae Comitum fundator Bernardus ad annum saltem imperii Lotharii quartum, quo anno Caesaris litteris subscripsit testis. Eas litteras Kleinsorgius vidit, in quibus censendis insigniter se prodit Pideritii stupor, dum annum 1137. cum quarto anno Imperii Lotharii nequit conciliare; nesciens, aliud esse regnum, aliud Imperium, et illius annos ab his diversos esse.

Sed missum faciamus verberonem, et Bernardum, quem erroribus implicuit, expoliamus. Pater, ut diximus, Bernardus fuit, mater Petronilla de Are. Ita Reusner et alii; sed male hunc Bernardum patrem cum avo confundunt; reclamat tempus centum annorum inter Bernardum I. et eum, quem Episcopum hoc loco proponimus. Pueritiam ejus describit Justinus, Presbyter Lippiensis, qui vixit anno 1263.

Nobilis ille puer, quem progenuere parentes
Moribus insignes, nobilitate pares.
Ponitur in studium puer in puerilibus annis,
Ne mens ad libitum sit vaga etc.

Hildesii studuit, ubi etiam Canonicorum collegio adscribi meruit, ubi dum agit, moritur frater ejus natu maximus; idcirco pater eum abstraxit ad bellica decora et exercitia. Postquam vero parenti successit, praecipua ei militiae pars fuit pro Henrico Leone, Saxoniae Duce; pro eo anno 1168. Haldesleven urbem tutatus est, teste Arnoldo Lubecensi et Chronic. Lauterburgensi. Nondum tunc inimicitias gerebat cum Coloniensi Archiepiscopo Philippo. Itaque testis subscribendo laudavit anno 1170. fundationem monasterii Bredeler, eo anno a Philippo factam, et anno 1173., III. Kal. Martias Susati subscripsit eidem Philippo Wedinghusanam apud Arnsberg fundationem confirmanti, et ibidem III. Idus Maji

confirmanti donationem quandam Scheidensi monasterio factam a Gothardo et Henrico de Hagen, testibus Kleinsorgio et aliis. — Postea vero sub annum 1178. bellis civilibus exorientibus in Germania, contra Philippum, Colon. Archiepiscopum, una cum sociis pro Henrico Leone conflixit et eundem in Dioecesi Osnabrugensi, circa Widenbrugge, gravissime cecidit, teste Cypraeo in Annal. Slesw. et Helmoldo libr. II. cap. 32. Proximo vero anno, scil. 1179., idem ipse ac Widekindus, dynasta de Rhede, Susatensem ditionem, Coloniensi Archiepiscopo subditam, pervastavit praedamque abegit, ut testatur Wittias Leisbornensis in Chronico, et fusius narrat Schaten in Annal. Paderbornens. ad ann. 1179. Sed brevi poenas dedit. Nam anno 1180. Idib. Aprilis in Comitiis Geilenhusanis una cum Henrici Leonis proscripti terris, ducatu scilicet Angariae et Westphaliae, Colon. Archiepiscopo adjudicatis, Lippiensis ditio cis et ultra flumen sita Paderbornensi et Coloniensi Episcopis sententia Imperatoris cessit, et bona, quae feudi jure ab Angariae Duce Leone obtinuerat, Hanno Mindensis et Arnoldus Osnabrugensis Episcopi occupaverunt, quo tempore Monasteriensis Episcopus Hermannus Sassenberg arcem et Satrapiam ei annexam ab eodem Lippiensi recuperavit. Itaque exutus Lippiae, quam avus ejus acquisierat, ditione, procul a patria in olim defenso castro urbis Aldesleven iterum militavit Henrico Leoni, quam, sola exaggeratione aquarum longa et difficili coactus, tandem jussu ipsius Henrici Leonis dedidit anno sequenti 1181., ut Arnoldus Lubecens., Chronic. Lauterburg., et Gobelinus Persona scripto prodidere. Anno tamen 1185., teste Kleinsorgio, obtinuit quorundam bonorum restitutionem ab Henrico Arensbergico (qui fuit nepos Conradi Comitis, fratris Sophiae illius, de qua initio hujus mentionem fecimus, filius Henrici Wedinghusani fundatoris anno 1157. defuncti), quamobrem eodem anno, veluti Deo pium rependens obsequium, fundationem et dotationem Marienfeldensis monasterii in Dioecesi Monasteriensi promovit, uti Kleinsorgius observavit. Defuncto sub haec anno 1191. Arnoldo, Osnabrugensi Episcopo, successit ei Gerhardus de Lippia, Bernardi, de quo agimus, frater, cujus intercessione alia facta est compositio inter Bernardum Lippiae et Henricum Arns-

bergensem Comitem, qui restitutioni feudorum praedictae non acquiescebat; accessit et mox aliud non leve momentum fortunae Comitum Lippiae. Nam Bernardus hic Hermanno, filio suo, impetravit unicam filiam Witikindi de Rheda matrimonio jungendam, cum qua dynastia Rhede ad Comites Lippiae est devoluta et possessa, quoad anno fere 1305. a Teckleburgicis Comitibus est praerepta titulo feudi a Ludovico, Monasteriensi Episcopo, olim accepti, uti refertur in Chronico Lippiae. Post haec consummatum est Campi S. Mariae, vulgo *Marienfeld*, monasterium, et eidem ulteriora et ampliora privilegia per Hermannum, Monasteriensem Episcopum, data fuerunt, praesentibus Comitibus Henrico de Ravenstein, Simone Comite de Tecklenburg et Bernardo de Lippia. Ita Chronic. MS. Marienfeldense apud Malinckrot. Tabulas affert etiam Schaten in Annalib. Paderborn. ad ann. 1185., quarum haec est subscriptio: „Acta sunt haec anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo quinto, Indictione tertia, Praesidente Romanae sedi Lucio Papa III., regnante Friderico, Romanorum Imperatore Augusto, praesentibus Clericis et Laicis, quorum haec nomina sunt."

Interea paralysi ac nervorum contractione ita ad consueta munia inhabilis fit Bernardus, ut lectica deportari necesse habuerit; ea corporis calamitas animum per externa vagatum domum revocavit et secum esse coëgit; qui dum rationes proprias inspicit et agnoscere incipit, quantis difficultatibus implexam animam gerat, lumine coelesti illustratus et motus, votum melioris vitae et poenitentiae suscepit, teste Lippiflorio, et sanitatem recuperavit. Credibile est, voti materiam fuisse peregrinationem seu expeditionem sacram adversus infideles in Livoniam; id enim ipse in litteris urbi Lippiensi datis indicare videtur, ubi ait, se, accepta abeundi potestate ab uxore sua Helwiga, in Livoniam esse profectum. Atque eodem tempore arbitror accidisse id, quod Albertus Stadensis refert, eum in lectica adversus hostes esse delatum, et victoriam reportasse. Sanatus igitur a Deo et in patriam reversus, quantum alienus fuerat ab ecclesiasticis viris, tantundem eos honorare et Deo servire constituit; quin etiam ipse, uxoris suae consensu impetrato, in eorum ordinem est adscriptus circa annum

1195. Chronicon enim montis sereni sive Lauterbergense sic habet: „Bernardus de Lippia, vir saeculi actibus deditus, post multa bella, inter quae rapinis et incendiis multis injuriosus exstiterat, inspirante Deo animo habituque mutatus, in quadam Ecclesia novella, quae primitus *Hosewinckel* dicebatur, Cistercienses ordinis Monachus est factus, demum ejusdem loci Abbas, ac deinde cuidam provinciae Livoniensi Episcopus electus"[1]). Resignaverat jam antea, ut docet Chronic. Marienfeld., saecularem possessionem in Hermannum, filium suum natu majorem. Eam mutationem quam praeclare descripsit ante 600. annos Justinus, Lippiensis Presbyter, carmine, cujus nonnullos versus hic dare satis erit:

Tum pius ille senex fit victima pura, relictis
Mundo possessis, conjuge, prole, tribu.
Et cunctis bene dispositis rebus, locus aptus
Indagatur, ubi serviat ipse Deo.
Mansio sacra placet, quae campus Virginis almae
Dicitur, hic floret relligionis apex.
Hic habitum miles mutat: fit corpore, mente,
Vita, non solum vestibus, alter homo.
Aure tenus coma tondetur capitisque capilli
Raduntur, nudat laeta corona caput.
Vestis larga tegit corpus, caput ampla Cuculla,
Aspera lana premit immediata cutem.
Se totum Domino mactat carnemque rebellem
Spiritui vestis asperitate domat.
Scripturas relegit, neglecta diu studiosa
Mens redimit, supplet sollicitudo frequens
Poenam, jura, nefas: mansuetus, justus, honestus
Fert, pendit, removet, corpore, corde, manu.
Jejunat, vigilat, psallit, prosternitur, orat
Et peragit, quidquid regula sacra jubet. etc.

Accidit non multo post haec tempora, ut Venerab. Meinardo I., Livoniae Apostolo et Episcopo defuncto[2]), succederet in Episcopatum Bertholdus Luckensis ex Ordine Cisterciensi, Abbas sub Coelestino III. consecratus ab Hartwico, Bremensi Archiepiscopo,

1) Tom. II. Scsiptor. German. Menckenii. pag. 261.
2) Obiit 14. Augusti 1186.

ut habet Albertus Stadensis. Idem, insurgentibus contra Christianos Paganis, ab eodem Pontifice cruciatam impetravit, ut fatetur Pidritius ex Cromeri libr. X. Chronolog. Comment. In hac Crucis praedicatione Bertholdus praeter alios illustres sui Ordinis viros ex Saxonia et Westphalia delectos etiam Bernardum de Lippia, quondam Comitem, nunc Marienfeldensem Religiosum adhibuit, qui hac occasione coloniam Monachorum e Marienfeldensi Coenobio in Wadenhart Livoniae deducens, velut filiam a matre Marienfeld appellavit, ubi etiam Abbas constitutus est, ut constat ex Chronico Lauterbergensi et Marienfeldensi. Cum deinde anno 1198., VI. Idus Januar., Coelestino III. mortuo, Innocentius III. successisset, et Bertholdus, secundus Livoniae Episcopus, Romae ageret, imperium autem valde esset per mortem Henrici V. et schisma perturbatum, Papa, sollicitus de nova Christianitatis per Livoniam propagine, litteras dedit ad Saxoniae et Westphaliae Principes, quas refert Rainaldus et Bzovius Annal. eccles. ad ann. 1199. In his autem queritur Pontifex, quod infideles post mortem Meinardi Episcopi praesumpserint excidium divini in illis oris cultus. Ea voce multorum corda tacta sunt, et militia sacra coaluit, quae, ut refert Russovius in Chronic. Livoniae, alba chlamyde utebatur cum stella rubra et gladii signo, germanice *Schwerdtbrüder* dicti, Ordinem Livonicum latine dixeris. Hujus Ordinis aliorumque peregrinantium armis bona Livoniae pars subacta est suavissimo Christi jugo, et ipse Bertholdus, optime de Ecclesia meritus, communita jam Riga, Livoniae Metropoli, anno 1204., teste Russovio et Funcio, in bello contra Estios, Livoniae tunc paganos populos, occubuit, cui Albertus, tertius Livoniae Episcopus, successit, qui Teutonicos et alios ad opem Livonico Ordini ferendam revocavit, et subactam regionem ordinavit institutis aliquot praeter Rigensem Episcopatibus Hapselensi, Osiliensi, Uggenusensi sive Torpatensi et aliis plurimis. Fortasse harum rerum expediendarum et confirmandarum gratia Bernardus noster, Abbas Novi Campi Mariae, e Livonia missus est ad Sedem Apostolicam, cui tunc praesidebat Innocentius III. Is, benigne accepta legatione, in consistorio Livonicis postulatis respondit, et Episcopatuum erectionem confirmavit, adjuncta etiam

cruciata ad fidelium opem aliisque necessariis gratiis ad Neophytorum subsidium. Epistolae Innocentii III., quas legere licet Tom. II. collectionis Baluzianae, pag. 806., datae sunt Signiae VI. et V. Idus Octobris, Pontificatus XVI., id est, 1213. — Legatione perfunctus, rediit Bernardus Abbas et, relatione facta, ipse et Theodoricus quidam electi sunt in Episcopos, qui etsi discretas Dioeceses haberent, quia tamen nulla erat in iis regionibus urbs vel arx satis munita, praeter Lealam, in qua tuto residerent, ideo Lealenses Episcopi communi nomine aliquando compellari deprehenduntur, cum alias proprie Bernardus noster Seloniensis, Theodoricus Estiensis Episcopus esset appellandus. Accessit et alia causa, tam nominum perturbatrix, quam rerum Livonicarum, quando anno 1208. Joannes I., Sueciae Rex, cum exercitu Estios aggressus est, et Lealam occupavit, eique, dejectis Germanis, Capitaneum cum 500. praesidiariis et Episcopo novo suarum partium cum presbyteris imposuit, et licet Osiliae et Wickiae populi, conspiratione facta, Suecos peremerint, tamen Lealensem arcem una subverterunt, ut mirum non sit, Theodoricum hic Coloniae, ut postea ostendemus, exsulasse.... Bernardus consecratus est a filio suo Ottone, hujus nominis secundo Ultrajectino Episcopo, qui ab anno 1214. usque 1226. hunc Pontificatum gessit, in loco Aldensele, uti ex Justino Presbytero et Krantzio liquet, dum ajunt, Ottonem trans mare esse profectum ad consecrandum patrem suum. Hac de causa exclamat Albertus Stadensis: „O mira res! Trajectensis Episcopus patrem suum consecravit Episcopum in Aldensele, et postea pater cum eodem filio suo Gerhardum, alium filium, Bremensem Archiepiscopum consecravit, idemque Gerhardus alium fratrem suum Paderbornensem consecravit Episcopum.“ Commode ergo consecrationem ejus ad ann. 1215. constituere licet. Persecutione deinde circa ann. 1217. exorta, Bernardus remeavit in Germaniam et aliquo tempore Coloniae habitavit. Consecravit enim vel reconsecravit ibidem parochialem S. Christophori Ecclesiam. Nam anno quadragesimo sexto supra millesimum et sexcentesimum in extensione novae ejus Ecclesiae ex majori Ara erutum est, cum sacrarum Reliquiarum capsa sigillum ovalis ferme figurae, cum hac epigrapha: *Bernardus, Dei gratia*

*Lealensis Episcopus.* Adsita erat alia capsula lignea, cui impositae duae ex tenuissimo lino telae et incisa haec verba: *Per negligentiam effusio sanguinis.* Hoc tempore evenit etiam, quod narrat Caesarius Heisterbac. [1]: „Venerabilis Episcopus Livoniae et magister Lambertus, Decanus SS. Apostolorum in Colonia, cum ante annos paucos simul ad Curiam pergerent imperialem, et in via de Scripturis sermocinarentur, etiam mentio habita est de corpore Christi. Decano in hoc Sacramento efferente fidem christianam, Episcopus respondit: Novi Sacerdotem, qui nuper oculis corporalibus Christum in Altari vidit; a quo cum Decanus personam tanta visione dignam extorquere tunc non potuisset, ultima die, quando separandi erant ab invicem, Episcopus ei est confessus, quia ipse esset.“ Idem Selonensium Episcopus Bernardus anno 1221. Schauenburgi ad Visurgim Oratorium, sive Capellam et Altare in honorem S. Pancratii Martyris dedicavit, ut refert Chronicon Mindense [2]; et in Marienfeldensi Chronico MS. asseritur, tempore Winrici Abbatis Bernardum de Lippia, Seloniensem Episcopum, litteram dedisse, in qua exprimebantur bona, quae ipse contulerat monasterio. Addit idem Chronicon, „quod ejusdem Abbatis tempore Basilica ejusdem monasterii sit consummata et convenerint ad dedicandam eam Reverendi Patres, scilicet in carne nobiles, sed virtute nobiliores, Theodoricus de Isenburg Monasteriensis, Adolphus Osnabrugensis, Conradus Mindensis et Bernardus de Lippia Selonensis Ecclesiarum Episcopi. Inter quos D. Theodoricus erat principalis, quia loci ordinarius et dioecesanus; ipse enim dedicavit summum Altare et Ecclesiam: Adolphus Osnabrugensis dedicavit omnia Altaria circa chorum in sinistra parte, Conradus Mindensis dedicavit omnia Altaria ad dexteram partem; denique Bernardus de Lippia dedicavit Altare S. Crucis in choro conversorum et omnia Altaria reliqua in inferiori parte templi ad occidentem. Facta est autem haec solemnis dedicatio in nomine Ss. et individuae Trinitatis, ad venerationem perpetuae Virginis Mariae, anno gratiae MCCXXII., pridie

1) Libr. IX. Dialog. cap. 4.

2) Apud. Meibom. Scriptor. German. Tom. I. pag. 564.

Nonas Novembr., Indict. X." — Ad haec ipsa tempora referendae etiam illae consecrationes, quas Lipstadii fecit in Archidioecesis Coloniensis limine, teste Kleinsorgio et Justino Presbytero, quibus manifestum evadit, Bernardum non in Livonia continuo desedisse, sed Germaniam hanc peragrasse, Crucis indubie praedicandae causa, ut indicat Lippiflorium Justini et Albertus Stadensis, quae etiam illum aliquando in Frisiam, vel certe affectus in filium detulit, ut habet Caesarius Heisterb. lib. X. cap. 35 [1]). Supervixisse autem eum annum 1222., liquet ex supra allata dedicationis historia et ex laudato Caesario, qui hoc ipso anno scribens Dialogos suos, vocat eum non semel *nunc Livoniae Episcopum*. In Decembri ejusdem anni 1222. vel certe sequentis anni initio ipsum cum aliquot sacerdotibus esse regressum in Livoniam, post partam a Daniae rege victoriam super rebelles ibi divini nominis hostes, novoque zelo fidem catholicam propagasse, inde palam fit, quod Pontifex Honorius III. anno 1225. ob florentem in Livonia religionem de erigenda metropolitana Sede cogitaverit et litteras dederit [2]), unde merito Bernardus Livoniae Apostolus dicitur. Quo anno vir Apostolicus obierit, nondum liquet. Si incorrupte exscriptum sit privilegium (quod dubitamus) Lippiensi urbi datum a Bernardo nostro, ad annum 1245. pervenisset: nam id ita concludi disco: „Scriptum hoc Sigillo Hermanni, filii mei, communivi, cui omnia mea resignavi eo tempore, quando, ab uxore mea Heylwiga licentia accepta, Livoniae partes Deo militaturus intravi. Dat. anno 1244., X. Kalend. Januar." [3]). Diem mortis novimus ex Cisterciensi Menologio, qui vigesima tertia Januar. ejus beatam celebrant memoriam, qua die a Bollandianis inter praemissos etiam ponitur. Mortuus est in insula Osilia, et cum Dunemundae Abbas in continentem viri sancti corpus transfert, tempestate maris coorta, naufragio vectores perierunt, altera vero die Abbatis et Episcopi corpus una appulerunt, ut, qui in vita se dilexerant, in morte ne separentur.

---

1) Conf. *Schaten* Annal. Paderborn. ad ann. 1222.

2) *Rainald.* Annal. ad ann. 1225. N. 16.

3) Juxta *Arnold. Wion* in Ligno Vit. libr. II. cap. 46. pag. 329. floruit anno 1260.

Cum Bernardo, ut vidimus, connexus est Theodoricus Estiensis, alias Heistorum Episcopus, de quo exstat inscriptio: „Anno MCCXIII., VIII. Kalend. Septembr., consecratum est Altare novi Chori Santensis ab Episcopo Estiensi in honore B. M. V. — Idem Trimoniae consecravit templum S. Catharinae Praemonstratensium anno MCCXV., teste Kleinsorgio, et MCCXVI., V. Kalend. Maji, S. Pantaleonis Ecclesiam. Nam etsi ea quondam, teste Godefrido Pantaleonita, anno videlicet Domini DCCCCLXXX., fuerat consecrata a Venerabili Warino, Archiepiscopo Coloniensi, tunc tamen propter violata cornua Altarium principale Altare cum aliis duobus ex utraque parte, scilicet Beatorum Petri et Pauli, ibidem destructis et noviter reparatis, consecrata sunt, cum Capellula Sanctuario contigua, quae in honore S. Catharinae Virginis consecrata est. A Paganis occisus est anno 1220., ut apud Albertum Stadensem legitur.

Porro tempore S. Engelberti Archiepiscopi pro Imperii et Ecclesiarum curis distento Martyre, Vicarium egit Walterus, Carliolensis Episcopus. Exstat de hoc praeclarum monumentum: „Walterus, Dei gratia Carliolensis Episcopus, universis Christi fidelibus, qui has litteras inspexerint, salutem in Christo Jesu! Noverint universi et singuli, quod nos de autoritate Domini Colon. Archiepiscopi Engelberti, et ad petitionem conventus SS. Apostolorum in Colonia, capsam, quae in praedicta Ecclesia consistit, cum debita solemnitate benediximus, et in ea cum devotione et reverentia Reliquias Sanctorum reposuimus, scilicet de ligno Domini, de sepulcro Domini, de mensa Domini etc., S. Materni, Pantuli Episcopi et aliorum Sanctorum.“ Et post plurimas recensitas Sanctorum Reliquias. „Nos etiam de misericordia Jesu Christi et SS. omnium meritis confisi, et auctoritate Colon. Archiepiscopi suffulti, omnibus illis, qui in festivitate SS. Martyrum Felicis et Adaucti ad praedictam Ecclesiam accesserint, vel eleemosynas suas transmiserint, XXX. dies poenitentiae sibi pro peccatis suis, de quibus fuerint sufficienter contriti et sacerdotibus suis confessi, remittimus. Ne ergo hoc factum nostrum alicui imposterum possit venire in dubium, praesentem paginam super hoc conscribi fecimus et sigilli nostri appositione communiri. Acta sunt haec anno

Dominicae Incarnat. MCCXX., Idibus Julii." — Carliolensis Episcopus haud dubie dicitur a Carliolo, urbe antiquissima Galliae, quae Episcopali titulo ornata subest Eboracensi Episcopo. Haec a Danis anno fere 900. eversa, postea restaurata fuit a Wilhelmo II., cum in Scotiam pergens, loci opportunitate perspecta, castrum excitavit et colonos in id ex Belgis transscripsit, quibus auctis, primus illis datus Episcopus Adelwaldus, et deinceps quarto loco Walterus, qui, anno 1223. Episcopatum adeptus, eo sese anno 1246. abdicavit. Ordinem PP. Praedicatorum, cujus tunc initia fervebant, amplexus, Coloniae videtur vixisse et obiisse, uti R. D. Wilmius observavit.

Henricus Archiepiscopus totus incumbens, quomodo vindicaret sanguinem sui antecessoris Engelberti, capto dein et Coloniae rotato Friderico, Comite de Isenburg, ineunte anno 1227. sese accinxit solemniis nuptialibus et coronationi imperiali Aquisgranensi, quare ejus vices tunc implevit Wetzelinus, Episcopus Revaliensis in Livonia, sub Archiepiscopatu Rigensi, qui dubio absque hisce diebus ob turbatum suae Dioecesis et regionis statum Curiam adiit imperialem. In monumentis Heisterbacensibus autem de eo exstat haec notitia: „Anno Domini MCCXXVII., V. Kalend. Februar., dedicata sunt a Domino Wetzelino, Episcopo Revaliensi, tria Altaria. Primum in honore B. Ursulae, secundum B. Martini, tertium in honore SS. Catharinae et Agnetis VV. MM. Eodem anno, IV. Kalend. Februar., ab eodem Episcopo dedicata sunt quatuor Altaria, quorum primum in honore S. Michaelis, secundum in honore S. Joannis Baptistae, tertium in honore SS. Benedicti et Bernardi, quartum in honore Beatarum Mariae Magdalenae et Aegyptiacae. Eodem anno, II. Nonas Februar., ab eodem Episcopo dedicata sunt quatuor Altaria, quorum primum in honorem SS. Petri et Pauli Apostolorum, secundum in honorem S. Salvatoris, tertium in honorem S. Joannis Evangelistae, quartum in honorem S. Stephani Protomartyris. Eodem anno, Nonis Febr., ab eodem Episcopo consecrata sunt duo Altaria, quorum primum in honorem S. Cassii et Sociorum, secundum in honorem omnium Sanctorum. Eodem anno, VII. Idus Februar., ab eodem Episcopo dedicata sunt tria Altaria, quorum primum in honorem

S. Thomae Apostoli, secundum in honorem gloriosissimae Dei Genitricis Mariae, tertium in honorem SS. Bartholomaei et Matthiae Apostolorum. Altare in Sacrario dedicatum est in honorem trium SS. Regum." Hucusque monumenta Heisterbacensia. Secuto dein anno MCCXXVIII., ut Mörckens scribit[1]), cum Henricus propter insidias hostium, quod decessoris necem juste quidem, sed nimis acerbe vindicasset, publico ad tempus abstineret, Joanni Mithylinaeo, Cypriensi Archiepiscopo, Apostolicae sedis Legato, commisit, ut ab Engelberto Ecclesiae Magdalenae in colle Greesbergensi adaedificatum Chorum in honorem SS. Macchabaeorum sacraret, quod ille VII. Kalend. Octobris peregit; qua occasione simul brevem translationis Macchabaeorum historiam inclusit majori Altari, quae post aliquot saecula in eadem Ecclesia est reperta. — Ipsum hunc Joannem Coloniae tunc fuisse versatum, remur, ut cum Ottone, Cardinale de carcere Tulliano, Legato, excommunicationem publicaret contra Imperatorem Fridericum. His enim diebus varios fuisse missos in provincias Sedis Apostolicae nuntios, Annales Godefridi testantur et Augustenses.

Ultimis tandem Pontificatus sui annis Henricus est usus Baldrici vel Baldewini, Episcopi Senigallensis, non in Italia sub Archiepiscopatu et ducatu Urbinate, sed sub Metropoli Rigensi in Livonia, opera, ut colligere licet ex inscriptione quadam, quam Jongelinus ex monumentis Heisterbacensibus servavit: „Anno MCCXXXVII. dedicata est Ecclesia hujus monasterii a Domino Conrado Osnabrugensi et Domino Baldewino Semigallensi Episcopis, in die S. Lucae Evangelistae, quorum prior majus Altare in honore Sanctissimae Dei Genitricis Mariae, et secundus Altare conversorum in honorem S. Crucis consecrarunt. In crastino vero S. Lucae idem Dominus Balduinus Altare S. Andreae in honore ejusdem Apostoli et SS. quatuor Doctorum consecravit." Haec D. Jongelinus. His addere volumus aliud ex MS. Gelenii monumentum, depromptum e Sancti Severini Tabulario: „Baldericus, miseratione divina Semigallensis, consecravit Ecclesiam S. Severini de voluntate H. Archiepiscopi,

1) Conat. Chronolog. p. 126. — *Gelenius* de Magnitud. Coloniae Libr. III. pag. 588.

IV. Novbr., anno MCCXXXVII." Est hic *Henricus* de Molenarck, qui anno sequenti MCCXXXVIII., VII. Kalend. Aprilis, juxta hodiernum calculum, quo annum incipimus a prima Januarii, obiit, uti et Albertus Stadensis refert. Si alii, ut Godefridus Pantaleonita, eum anno praecedenti, id est, anno 1237. obiisse dicunt, anni initium a Paschate deducunt. Quis vero hic Conradus Osnabrugensis, ab Erdmanno aliisque in Catalogo Episcopor. Osnabrug. omissus, fuerit, sufficientibus documentis ostendit Sandhoff in restituta Serie Episcoporum Osnabrug. — De caetero hic notandum venit, Baldericum ante ordinatam ab Alexandro Pontifice IV. anno 1255. ecclesiasticam provinciam Rigensem, primum esse Semigallensium Episcopum, qui nomen Episcopatus non a principali urbe, sed a regione adhuc deducebant, uti ex Epistola Papae Alexandri IV. ad Archiepiscopum Rigensem liquet[1]). Secundus Semigallensium Episcopus fuit Arnoldus, qui sub Conrado de Hochsteden, Archiepiscopo Coloniensi, vicarias egit functiones. Gelenius enim in opere: *de admiranda Magnitudine Coloniae*, pag. 411., hanc profert inscriptionem: „Anno Dominicae Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, in Vigilia SS. Cosmae et Damiani, dedicatum est Altare summum in Ecclesia S. Lupi a Venerabili Viro Arnoldo, Semigalliae Episcopo, promovente hoc Domino Constantino, hujus Ecclesiae Plebano. Continentur autem in Altari hae Reliquiae etc." Ipse quoque Arnoldus, annis post duobus, 1259. Ecclesiae S. Gertrudis (Sanctimonialium Ord. S. Dominici) largitus est indulgentias. Primos Semigallenses Episcopos, cum ob continua bella sibi nec fixam erigere potuerint Cathedram, nec haberent, unde viverent, raro in sua Dioecesi, sed plerumque in Germania fuisse versatos, docet historia. Circa idem tempus in terra Arensbergensi Dioecesis Coloniensis quidam F. Theodoricus, Virodensis Episcopus, pro Venerabili Archiepiscopo Coloniensi: „Anno MCCLIV., die Dominica in Vigilia SS. Petri et Pauli, in honore Sanctiss. Trinitatis, S. Crucis, gloriosae Virginis Mariae, SS. Joannis Baptistae et Evangelistae, S. Laurentii, S. Augustini consecravit summum Altare et Sanctuarium Ecclesiae Wedinghusanae."

---

1) *Raynald*, Annal. eccles. ad ann. 1255. N. 64.

Exstat inter monumenta Abbatis Wedinghusani Ord. Praemonstratens. prope Arnsbergam. Quis autem iste F. Theodoricus Virodensis fuerit, conjectare non audeo. Inter Episcopos Germanicos solus Citizensis eo tempore hoc nomen fert. Nec novimus Episcopatum Virodensem in tota notitia Ecclesiastica, cum de Episcopatibus Verdensi aut Virodunensi hic cogitare non liceat. Scriptio vel corrupta, vel abbreviata sit, oportet [1]).

Post hunc, adhuc sub Conrado Archiepiscopo, offendimus Henricum, Episcopum Osiliensem, ita ex insula Osilia, in partibus Livoniae, sub Archiepiscopatu Rigensi nominatum, ex Ordine FFr. Praedicatorum. Exstat de eo in monte Calvariae pagi Wingardten, inter Monasterium Eifliae et Euskirchen siti, Altare per ipsum consecratum ipso die Epiphaniae Domini, ann. MCCLIX., VI. Januarii, in honorem Salvatoris. De eodem legimus in Chronico Mindensi [2]), quod anno Domini MCCLX. una cum Witikindo de Hoja, Episcopo Mindensi, et Gerhardo de Hoja, fratre ejus, Verdensi Episcopo, Ecclesiam Praedicatorum in Minden noviter constructam cum magna solemnitate dedicarit. Fuerit sane ex ipso aut alio Westphaliae conventu primus Osiliensium Episcopus promotus, quandoquidem aliquot saeculis Livonicarum Sedium Praelati ex ea gente assumpti fuisse noscuntur.

Coloniae autem eodem tempore, ut Annales MSS. Franciscani testantur, floruit Henricus Curiensis, Comes de Monteforti, in ordine FFr. Praedicatorum religiosam vitam professus et anno 1251. Curiensis Episcopus electus, qui in schismate Imperii Richardo, Cornubiae Principi Angliae, adhaesit. Hic anno MCCLX. Coloniae dedicavit insignem Ecclesiam Fratrum Minorum, in qua multi nobiles sepulturam elegerunt et sua liberalitate sacram ejusdem suppellectilem adauxerunt. Eum per plures annos (ad ann. 1270.) episcopali consecratione exruisse, exinde colligere vult Clar. Ambros. Eichhorn, Presbyter e Congregatione S. Galli, in opere:

1) Inter Suffraganeos Moguntinos idem nominatur *Theodoricus Episcopus Vironensis*. Fortasse *Verronensis*, quae civitas episcopalis erat in Africa proconsulari. Conf. Marcelli Africa Christian. Tom. I. pag. 351. — Erat autem Theodoricus ex Ordine FFr. Minorum.

2) Ex editione *Paulini* p. 28.

*Episcopatus Curiensis in Rhaetia*, pag. 94., quod in Chartis constanter solum Dei gratia Curiensis *electus* scribitur usque ad 1270.; sed nostrum dedicationis monumentum contrarium probat.

Post mortem Conradi de Hochsteden successerunt Engelbertus II. et Siffridus, qui tot bellis intestinis agitati, in captivitate detenti, sacris vix fungi potuerunt muniis, quare stabili Vicariorum opera indigebant. Hos inter comparet Wernerus Episcopus de Curlandia, alias Culmensis dictus, qui in terris Westphalicis nonnullas dedicavit Ecclesias et Altaria consecravit. Erat autem Praepositus Ordinis Teutonici, uti novissime reperta inscriptio docet, et ab anno 1274. usque ad ann. 1291. Episcopus. Anno 1276. consecravit Altaria Briloniensia, in Westphaliae Dioecesis Coloniensis Ducatu.— Sed stabilem maximamque in Coloniensi Dioecesi operam vicariam praestitit S. Albertus M., qui Laugingae e Suecia ortus, Episcopus Ratisbonensis, post Episcopatus abdicationem ad conventum Fratrum Praedicatorum Coloniensem rediit et Pontificalia munia ab anno 1262. in diversis Dioecesibus, potissimum tamen in Archidioecesi Coloniensi, non solum aras, templa personasque consecrando, sed Sanctorum Corpora elevando obivit. Horum ejus operum catalogum quendam ex R. P. Vincentio Justiniano in ejus vita depromimus: „*Susati*, inquit, templum Paradisiacarum Monialium, *Neomagi* 1273., VII. Septembr., Protomartyris Stephani aedem, praesente Reinoldo, Geldriae Comite, *Xantis* S. Victoris insignis Basilicae chorum, *Trajecti* fratrum suorum sacram domum, *Basileae* quoque aliud aedificium B. Dominico sacrum cum quatuor aris, *Argentinae* in aede S. Petri junioris aram quandam in honorem S. Columbae V. et M. suis ipse manibus consecravit. Anno 1268. *Columbariae* Sororum et Fratrum Minorum, ann. 1271. *Eslingae et Antwerpiae* Divo Paulo, et *Ultrajecti* S. Andreae Apostolo sacras aedes dedicabat, et *Lovanii* Altaria duo anno 1276. apud suos consecrabat, Ordines conferebat, et *Argentinae* quidem Sabbatho paschali 150. Sacerdotes, volente Gualtero Principe, et alios quadringentos ordinasse legitur. Chorum Ecclesiae Fratrum Praedicatorum Coloniae tamquam optimus Architectus juxta normam et verae geometriae leges erexit, et trecentorum Sanctorum diversorum Corporibus

eandem Fratrum Praedicatorum aedem, et pluribus aliis insignibus Reliquiis exornavit, inter quas praestat insignis spineae coronae Dominicae et S. Crucis portio, qua a S. Ludovico, Francorum Rege, donatus fuit, cujus ut certiora haberentur documenta, tertio in ignem conjecta tertio illaesa resiliit, quam inde puro auro inclusam et gemmis ornatam ad haec usque tempora intuemur. Plura alia Sanctorum pignora, Deo Sanctisque revelantibus, senex de terra sublata ad honoratiora loca transtulit et biennio ante obitum (1278.) S. Cordulae Corpus ad Ecclesiam S. Joannis equitum Hierosolymitanorum." — Haec Justinianus in vita studiose quidem, sed alicubi non sine errore temporum collecta. Quibus unicam addere licet inscriptionem, quae Focheimii prope Brulam inventa est: „In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti est hoc Altare consecratum in honore B. Catharinae et B. Margaritae et B. Nicolai a Venerabili Domino Fratre Alberto, Episcopo quondam Ratisbonensi, anno Domini MCCLXXIIII. Reliquiae vero in Altari inclusae sunt S. Stephani, S. Nicolai, de Ossibus B. Catharinae Martyris, de S. Petro, de S. Margarita etc." — Caetera praeclara S. Alberti gesta, cum ad scopum nostrum minime pertinere videantur, aliis delineanda relinquimus.

## CAPUT III.

### De Episcopis Titularibus in partibus infidelium, extraordinariis Coloniens. Archiepiscopor. Suffraganeis.

Primariam Episcopis Germanicis ansam dedisse, sibi ex Episcopis e terra a Saracenis occupata expulsis, vulgo Titularibus in partibus infidelium, assumendi in Pontificalibus Vicarios sive extraordinarios Suffraganeos, Lateranense Concilium sub Innocentio III. habitum, alibi observavimus. Quis vero ex Archiepiscopis nostris primus sibi elegerit ejusmodi Suffraganeum, nondum constare nobis videtur. Plerumque id [1]) duce Clar. Hontheimio, attribuitur Trevirensium Archiepiscopo Theodorico II., qui, fatiscentibus aetate et labore viribus, circa ann. 1241. ad vicariam pontificii muneris operam *Henricum, Ostiensem* Episcopum, adhibuit Suffraganeum; verum illum Henricum Osiliensem, non Ostiensem, eodem tempore et vicariam Archiepiscopo Coloniensi praestitisse operam, supra vidimus, quare nobis probabile est, ab initio unum Titularem Episcopum tribus deserviisse Archidioecesibus Trevirensi, Moguntino et Coloniensi in Pontificalibus, sicut et constat de supra nominato Theodorico, Episcopo Vironensi, qui Moguntina in Dioecesi et in Coloniensi functiones exercuit pontificales. Illud quoque nobis probandum venit, quod modo annotavit Clar. *Joannis* in Praefatione ad Elenchum Suffraganeorum Moguntin. [2]), quod Archiepiscopi nostri interdum ad certum tantummodo id genus Vicarios ad pontificii muneris procurationem cooptarint, usque ad medium circiter saeculum XIII., quo sibi

1) Histor. diplomat. Trevirens. Tom. I. pag. 640.
2) Tom. II. Rerum Moguntin. pag. 420.

fortasse quilibet Archiepiscopus stabilem Suffraganeum assumpsit. Itaque in Coloniensi Archidioecesi erat

## I. HERMANNUS, EPISCOPUS SAMBIENSIS.

Prussis, circa ann. 1235. ad fidem catholicam conversis, primus Gregorius IX. Papa dedit Episcopos ex Ordine Praedicatorum, ad quem finem misit Wilhelmum, Episcopum Mutinensem, tamquam Apostolicae sedis Legatum. Serius tamen praedicantibus Fratribus ex Ordine Minorum, idque urgente Ottokaro, Bohemiae Rege, eandem fidem amplexi sunt Sambienses sive populi in Samlandia, et licet modo anno 1250. nominatus erat primus Sambiensium Episcopus, eo tamen anno nondum tota conversa erat regio, nec Episcopus fixam habere potuit in urbe quadam residentiam. Novimus enim Sambienses Christianos continuo a Barbaris, ab Ottokaro licet saepius pulsis, crudelissime fuisse divexatos[1]).

Primus eorum Episcopus erat Fr. Joannes de Diest, ex Ordine FFr. Minorum, in Brabantia oriundus, vir doctissimus et eloquentissimus, qui anno 1254. ad petitionem Rom. Regis Wilhelmi, cujus fuit Capellanus et Consiliarius, per Innocentium Papam IV. a Sambiensi ad Lubecensem Ecclesiam translatus est[2]).

In ejus locum suffectus est Henricus de Strittberg, Ordinis Teutonici, Canonicus Brünnensis, Comes et Capellanus Regis Ottokari in expeditione Sambiensi, qui postea ad patriam rediens, Thorunii plerumque commorans, novo gregi suo parum providebat, ita ut de ejus Episcopatu vix quidquam sit auditum[3]).

Interea nescio, a quo ordinatus est Sambiensium tertius Episcopus Hermannus, qui anno 1274. audiens Henrici supra nominati obitum, administrationem suae Dioecesis suscipere intende-

1) Conf. *Raynaldi* Annal. eccles. ad ann. 1255. N. 61. et ex novissimis *Joann. Voigt*, Handbuch der Geschichte Preussens I. Bd. S. 188.

2) Chronic. Lubecens. apud *Meibom*. Scriptor. German. Tom. II. pag. 397. — *Krantz*, libr. VIII. Metropol. cap. 17. — *Wadding*, Annal. Ord. Min. Tom. II. ad ann. 1253. N. 35.

3) Vid. cit. *Voigt* pag. 187.

bat, sed restiterunt[1]) alumni Ordinis Teutonici, qui, rejecto Hermanno, Christianum de Mühlhausen, Presbyterum sui Ordinis, constituerunt Episcopum, postea a Friderico, Episcopo Merseburgensi, consecratum. — Jam ergo duo erant sic nominati Sambienses Episcopi, neuter eorum fixam in Sambia sedem habens. Hermannus enim Coloniam repetens, functiones vicarias Archiepiscopi Coloniensis, Christianus autem circa ann. 1277. Thuringiam, ubi quasdam possessiones habebat, profugus remeans, Archiepiscopi Moguntini vices gessit. — De Hermanno exstat tale monumentum: «Anno MCCLXXXIV. translatum est festum dedicationis templi Sanctensis a Fratre[2]) Hermanno, Episcopo Sambiensi, gerente vices Domini Siffridi, Coloniens. Archiepiscopi.» De eodem et illud reperitur: «Altare B. Mariae Magdalenae consecravit Hermannus, Sambiensis Episcopus, die Dominica proxima post Nativitatem B. Mariae, quae accidit in VI. Id. Septembr., Sanctis etc.» Idem Hermannus Episcopus, Suffraganeus Coloniensis, dedicavit tabulam Reliquiarum in Veteri Monte circa annum 1303. Siquidem, referente Domino Jongelino, Henricus XVII. Abbas Veteris Montis, electus ann. 1289., post quartuordecim annos abdicavit, qui de consensu visitatoris et Domini Jacobi, Successoris sui, curavit fieri pretiosissimam tabulam Reliquiarum, quam pluribus ac pretiosissimis Reliquiis exornavit, curavitque benedici per Reverendiss. Dominum Hermannum, Episcopum Sambiensem, Suffraganeum Colon. Decessit e vivis VII. Idus Martii. Siquidem in Sigbergensi Necrologio ad eum diem notatur commemoratio Domini Hermanni, quondam Sambiensis Episcopi[3]).

Interea et alius comparet Episcopus, vices aliquando gerens Coloniensis Archiantistitis. In annalibus enim MSS. Wesalianis ad ann. 1296. notatur: «Reverendissimus Dominus Emanuel, decretorum et legum Doctor, quondam Episcopus Cremoniensis,

1) Episcopatus Prussiae fratribus sui Ordinis ab Innocentio IV. fuisse assertos, affirmabant. Vid. *Raynald.* Annal. ad ann. 1245. N. 89.

2) Hermannus probabiliter erat ex Ordine Minorum.

3) De Christiano, Sambiensi Episcopo, Suffraganeo Moguntino, vide *Joannis* Elenchum de Suffraganeis Moguntin. Tom. II. Rer. Mogunt. pag. 422.

consecravit Ecclesiam Praedicatorum in Wesalia et Altare majus.» Ex eo colligere licet, eum etiam fuisse hujus Ordinis Sodalem.

## II. HENRICUS REDESTONENSIS.

Henricus Jonchen, per Germaniam Provincialis Ordinis Carmelitarum, anno 1298. creatus est Episcopus Redestonensis, a Wicboldo, Colon. Archiepiscopo, ut Suffraganeus assumtus, dein sede per mortem Wicboldi vacante, auctoritate Capituli Coloniensis Pontificalia exercuit, ut ex sequenti liquet monumento: »Anno Domini MCCCIV., in die B. Barbarae V. et M., haec crux veneranda benedicta est a Venerabili Patre Domino Henrico, Episcopo Redestonensi, auctoritate Decani et Capituli Coloniensis gerente vices in Pontificalibus, sede per mortem Domini Wicboldi, Colon. Archiepiscopi, vacante. Impositae vero sunt subscriptae Reliquiae venerandae cruci praefatae a praedicto Domino Henrico" [1]). An vero sub Successore Wicboldi, Archiepiscopo Henrico de Virnenburg, vicarias opes tulerit, merito dubitamus. Certum est, Harzheimium errare, cum ei dedicationem Capellae ad Olivas sive ad Elephantem anno 1310. X. Kalend. adscribit, ut infra patebit. Mortuus est in Conventu Carmelitarum Colon. anno 1312. — Porro titulum habuit a Redesto sive Byzanhe, oppido Thraciae, quod erat Sedes episcopalis Provinciae Europae sub Metropoli Heraclea vel sub Archiepiscopatu Iratiensi [2]).

## III. JOANNES SCOPULENSIS.

Henricus, sub hoc nomine secundus Archiepiscopus, postquam papalem anno 1308. obtinuit confirmationem, in socium pontificii oneris assumpsit *Joannem de Constantia*, Theologiae Doctorem, Ordinis Praedicatorum, qui mox Episcopus consecratus est Scopulensis. Est autem duplex civitas Scopulensis sive Scopulorum, una in Provincia Haemimonti, sub Metropoli Hadrianopoli in

---

1) De hac cruce plura Harzheimius in Elogio Henric. Episcopi, pag. 121. Biblioth. Colon.

2) Conf. Lequien Oriens illustrat. Tom. I. p. 1127. — Notitia Episcopi Catharens. apud Schelstrate Antiquit. illustrat. Tom. II. p. 771.

Notitia Leonis, altera in insula Aegaei maris Macedoniae, sub Metropoli Larissa, Provinciae Thessaliae [1]). Hic Joannes Scopulensis anno 1310., X. Kalend. Decembris, consecravit Coloniae Capellam ad Elephantem vel ad Olivas, postea Monasterium Franciscanorum, in honorem S. Agnetis [2]), cui mense sequenti plures largitus est indulgentias. Charta originalis in pergameno scripta sigilloque munita sic habet: „Nos Frater Johannes, Dei et Apostolicae Sedis gratia Scopulensis Ecclesiae Episcopus ac Ven. Patris Domini Henrici, Archiepiscopi Coloniensis, per civitatem et Dioecesin Colon. in Pontificalibus et Spiritualibus vices gerens, universis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam! Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur, bene servientibus multo meliora retribuat, quam valeant promereri, Nos tamen, ob divini cultus reverentiam et sacrorum locorum frequentiam devotionem fidelium provocare cupientes, ut Capella ad Elephantem, sita in Parochia S. Columbae Coloniensis, quae a nobis cum suo Altari in honorem S. Crucis et Sanctae Agnetis Virg. anno Domini millesimo trecentesimo decimo, X. Kalend. Decembr., est dedicata, a devotis fidelibus visitetur tanto crebrius, quanto ibidem gratia uberior exhibetur in solemnitatibus infra scriptis, videlicet in festo Dedicationis ejus, in Nativitate Domini, in Pascha, in Pentecoste, in festo omnium Sanctorum, in duabus solemnitatibus S. Crucis, in quatuor festis B. Mariae Virg., in festivitatibus beatorum Apostolorum, in festo B. Agnetis Virg., et singulis diebus Dominicis infra festum Paschae et Pentecostes, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui anno quocumque in quovis festorum praedictorum praefatam Capellam et Altare praedictum causa devotionis accesserint, de omnipotentis Dei misericordia confisi, quadraginta dies de injuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus, festum autem Dedicationis praedictae post annum praesentem annis singulis proxima Dominica post festum beatorum Apostolorum Philippi et Jacobi debebit in perpetuum celebrari. In praemissorum autem testimonium sigillum nostrum

1) Conf. Lequien. Tom. I. pag. 1187. Tom. II. pag. 118.

2) *Gelenius* de Magnitud. Coloniae. pag. 519.

praesentibus duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo decimo, feria sexta post festum beati Nicolai Episcopi." Idem quoque Altaria consecravit in Ecclesia Collegiata S. Andreae Colon. et Dedicationem templi Campensis Abbatiae transtulit, uti sequens ex Catalogo Abbatum Campensium eruta notitia habet: „Ob agrestem rusticorum insolentiam, lites, importunitatem atque homicidia, templi Campensis dedicationem, II. Idus Septembr. quotannis solitam celebrari, Venerabilis Dominus Joannes, Scopulensis Episcopus, in sacram Epiphaniam Ogdoada (Octavam) transtulit tempore Arnoldi Zittardensis, quinti decimi Abbatis Campensis, electi anno 1298., quique 22. annis praesedit." — Mortuus est autem idem Joannes Coloniae et apud Praedicatores sepultus, eo, quod sequitur, inscripto Epitaphio: „Anno Domini MCCCXXI., XVI. Kalend. Novembr., obiit Reverendissimus Dominus Joannes de Constantia, Episcopus Scopulensis." Ejusdem memoria annotata est in Sigbergensi Necrologio hisce verbis: „Joannes bonae memoriae quondam Scopulensis Episcopus, de cujus anniversario dantur 14. maldra siliginis de molendino in Odelinchoven."

## IV. JOANNES SCOPIENSIS.

Mox alter successit Joannes ex Ordine S. Francisci, Episcopus ordinatus Scopiensis, sive Scuporum (Uscup) in Dardania, Daciae Exarchatu. De hoc sequentes proferimus inscriptiones: „Anno Domini MCCCXXIX. in die S. Lucae consecratur Altare in Grevenbroich, in honorem SS. Joannis Evangelistae, Georgii Martyris, Margaritae et Barbarae Virg., et in quolibet festo praedictorum Sanctorum 40. indulgentiarum dies promerentur." Ita apud Jongelinum libr. II. pag. 40. Certius de eodem est, quod sequitur monumentum ex dicto Jongelino libr. II. Abbat. Cisterc. pag. 40.: „Frater Joannes, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Scopiensis, Venerabilis Patris Domini nostri Archiepiscopi Coloniensis in Pontificalibus et Spiritualibus per civitatem et Dioecesim Coloniensem vices gerens. Ad universorum Christi fidelium notitiam, hoc praesens scriptum intuentium, cupimus pervenire, quod festum dedicationis Claustri in Brugge, Ordinis S. Wilhelmi, quod fieri

est consuetum singulis annis in die Dominica post festum beatorum Petri et Pauli Apostolorum, transferimus in feriam secundam post festum Paschae, et statuimus, cum omnibus gratiis et indulgentiis sibi ab Archiepiscopis et Episcopis concessis, eodem die, videlicet crastino die Paschae, perpetuo celebrari, addentes omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus, confessis et contritis, qui tum dictum Claustrum seu Conventum cum devotione visitaverint, quadraginta dies indulgentiarum de injuncta eis poenitentia, de omnipotentis Dei misericordia confisi ac in Domino misericorditer relaxantes. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Datum anno Domini MCCCXXIX. ipso die B. Gereonis etc." Ad eundem Joannem referendum est illud: „Anno MCCCXXXI. Joannes, Scopiensis Episcopus, dedicavit templum Praedicatorum Tremoniensium." Vide Kleinsorgium ad ann. 1310., quo templi ejus initia quidem posita esse affirmat, sed tam tardo ob variarum difficultatum interventum progressum, ut ad eum, quem diximus annum, coronidis impositio fuerit prorogata. — „Anno MCCCXXXIII. die S. Gereonis consecravit Scopiensis Regularium Coloniensium Ecclesiam ad Corpus Christi cum coemeterio" [1]). De hoc Joanne Tremeniensi nonnulla refert Chronicon Coloniens. fol. 103.

## V. RUDOLPHUS CONSTANTIENSIS.

Rudolphum alicujus Mendicantium Ordinis sodalem fuisse, ex praemissis litteris: *Fr.*, id est: *Frater*, conjectare licet; fuit autem Episcopus Constantiensis sive Constantinanus in Cypro insula sub Patriarchatu Antiocheno, a Wilhelmo de Gennep, Archiepiscopo Colon., in Suffraganeum accitus. Anno MCCCLIX. in Octava Innocentium benedixit et immunitatis privilegio a saecularium usu segregavit singulas Patrum Eremitarum Coloniensium officinas; idem egit anno MCCCLXII. in domo Constantini a Lyskirchen, opposita pomerio S. Mariae in Capitolio, cum ea Augustinianeo accederet. Clarius id autem constat ex sequenti documento: „Nos

1) Conf. *Gelenius* de Magnitudine Coloniae pag. 448. — *Windheim* Sacrar. Agripp. pag. 160.

Fr. Rudolphus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Constantiensis Episcopus ac Reverend. in Christo Patris et Domini Wilhelmi, Sanctae Coloniensis Ecclesiae Archiepiscopi, in Pontificalibus Vicarius, universis Christi fidelibus praesentia visuris seu audituris, cum notitia praesentium salutem in omnium Salvatore! Cupientes Christi fidelium mentes ad devotionis officia excitare, divinique cultus exercitia ad Dei honorem ampliare, anno Domini MCCCLXI. Sabbatho proximo ante festum undecim millium Virginum, procurante honorabili viro Tilmanno de Cirno, Decano Ecclesiae SS. Apostolorum Colon., quoddam Altare, erectum in domo habitationis suae in superiori parte Aulae versus Orientem, infra immunitatem dictae Ecclesiae, consecravimus in honorem Sanctissimae Crucis, Beataeque ac gloriosae Matris Dei Mariae, nec non Beatorum Joannis Apostoli et Evangelistae, decem millium Martyrum, Sylvestri Papae, Nicolai Episcopi et B. Mariae Magdalenae, ut eorum meritis et precibus ad aeterna gaudia sublevemur. Omnibus igitur vere poenitentibus, qui in praescriptorum Sanctorum festivitatibus aut anniversario die Dedicationis, vel in praecipuis festivitatibus Christi dictum Altare devote visitaverint, aut qui pro salute praefati Domini Tilmanni misericordiam Dei deprecati fuerint seu deprecari procuraverint: Nos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli auctoritate confisi, quadraginta dies indulgentiarum cum una Carena misericorditer iisdem in Domino relaxamus, praesentem litteram Sigillo nostro munitam concedentes in testimonium praemissorum. Datum anno Domini praescripto, prima die Dominica Adventus Domini nostri Jesu Christi. *Sigillum Rudolphi Episcopi.*" Hactenus litterae, quae datae sunt IV. Kalend. Novembr., ut colligo ex nota Dominicae Adventus ejus anni.

His porro temporibus saepe contigit, ut Episcopi ex regularibus Ordinibus assumpti Titulares, si eorum officiis ordinarii Episcopi, a quorum voluntate dependebant, non amplius uti voluerint aut potuerint, ad Ordinis sui monasteria redirent, privatam ibidem agentes vitam, non tamen, si Ordinarius postulabat aut licentiam dabat, pontificiam casu necessitatis denegantes functionem; ii autem inter stabiles Episcoporum Vicarios numerari non

possunt, cum eorum officium ad unum alterumve restrictum sit actum. Sic in Conventu Praedicatorum Wesalano duos eodem tempore offendimus Episcopos, quorum unus Ecclesiam recens aedificatam anno 1354. consecravit, altero operam ferente. Consecrator erat Ludovicus de Foro, Episcopus Togiensis sive Togiae, municipii in Africa proconsulari, alias Tuggensis in Collation. Carthaginens. apud Optatum Milevit., sive Tuccae apud Marcellum Africa christ. pag 334. Tom. I., qui defunctus est 14. Maji 1391. Alter nominatur Theodoricus de Wischel, Episcopus Naturensis, sub Patriarchatu Constantinopolitano juxta Notitiam ecclesiastic. apud Schelstrate, qui in eodem Conventu vitam finivit 1408. Tabula enim ad latus sinistrum Chori depicta haec habet: „Hic ope Domini Ludovici de Foro, Episcopi *Togiensis*, aedificatus et post hunc largissimis expensis Domini Theodorici de Wischel, Episcopi *Naturensis*, ex toto restauratus conventus iste, de quo ambo assumpti sunt“ [1]). His accensendi sunt Matthias de Colonia, Simon Antweiler de Spira, Episcopi ex Ordine Carmelitarum, quorum sedes sunt ignotae. Vid. Harzheim in Bibliotheca Coloniens.

## VI. JOANNES SCOPIENSIS.

Ejusdem nominis tertius Suffraganeus, secundus sub titulo Scopiensis, a primis diversus, quia ex Ordine Cisterciensi assumptus. Is quid praeclari gesserit in Dioecesi, nondum compertum est. Sepultus est autem Aldenbergae in medio Chori Monachorum, habetque Epitaphium hujusmodi [2]):

Septembris mensis in fine meat Scopiensis
Praesul ab hoc mundo Joann., coelos adeundo,
Annus cum Christi C ter MLX., tria ternis
Juncta, sibi sisti fecit jungendo supernis.

Tunc quoque Coloniae versabatur Daniel, Episcopus Verdensis, ex sacro Ordine Carmelitarum, Coloniae exsul, qui non semel obiit munia pontificalia vice Archiepiscopi. Ejus viri bene de Ecclesia meriti nomen cum animadvertimus inique ab aliis, ab

1) Ex MSS. Annalib. Wesalanis.
2) Annus obitus 1366.

aliis imperite[1]) traduci, pauca de eo liceat asserere, ex quibus inops Verdensium Episcoporum Catalogus possit emendari, et familia Archidioecesis non una illustrari. *Daniel de Wichtrich*, sive Victoriaco Dioecesis Coloniensis prope Tolbiacum, miraculosa ac salutari adversus Alemannos Clodovei I., Francorum Regis, victoria inclytum, patre superioris Victoriaci, *Over* seu *Ohr-Wichterich*, nobili natus, habuit Mathildem et Gudam sorores; ex hac orti sunt Guda, Metza et Wernerus de Wichterich, cujus uxor Cunigundis seu Kunna progenuit Wernerum de Ohrwichterich, Bonnensem Canonicum; Metza autem nupta Rolmanno de Geisbusch, advocato in Wichterich et Domino in Bolheim, per quendam e posteris suis haeredem transmisit Dominium ad familiam de Hompesch, quorum arma, crux decussata rubra dentata, aureo insculpta clypeo, eadem sunt cum Danielis Episcopi armis, quae calicibus Victoriacensibus insculpta visuntur, nisi quod in his cernitur etiam transversaria trabs nigra, Cruci substrata, quae alias omittitur. Caeterum Daniel probe educatus, efflorescentibus tum jam Coloniae post Alberti M. aetatem studiis, adjecit sub annum Domini 1300. animum ad religiosam cumprimis familiam B. Mariae Virg. de Carmelo devotam, et in ea tantopere virtute ac doctrina excelluit, ut circa annum Domini 1312. in Coloniensi Carmelo sacram Theologiam profiteretur, et anno ejusdem saeculi 15. in Capitulo Ordinis sui Provinciali ac generali, una celebratis Coloniae, secundus Definitor suae Provinciae renuntiaretur. Et quoniam magnus pater familias properabat lucernam, praeclare in domo lucentem, quo pluribus luceret, in sublimi collocare, accidit, ut per mortem P. Rutgeri Parisiensis, Baccalaurei atque Alemanniae utriusque Provincialis, locus non solum splendori, sed etiam ardori Danielis opportunus exhiberetur, in quo collocatus unanimi fratrum suorum consensu, anno sequenti, videlicet 1316., in festo Nativitatis B. Mariae Virg., sub tantae nimirum matris et patronae auspicio, Provinciale suorum Concilium Crucenaci coëgit, in quo ei praesto fuere Henricus de Bopardia, Theologiae lector, Petrus Harlemensis, Swikerus Norim-

1) *Krantz*. in Metropoli et caet.

bergensis et Eberhardus Bambergensis Priores, illustres Ordinis definitores, praeter alios praeclaros e XXVII. Alemanniae Coenobiis evocatos viros. In quo Concilio apparuit, eum, non solum scientia, sed et prudentia praestanti praeditum, quaerere bona populi sibi commissi. Sed cum praeclarus Magister ducem Magistrorum omnium, Christum pro nostra causa humiliatum, perfectius imitari decrevisset, anno 1317., resignato Praelationis munere, sacrarum litterarum rerumque divinarum amicam commentationem repetiit, dignusque omnium calculis visus est, qui paucis interjectis annis SS. Theologiae Magister seu Doctor renuntiaretur. Ille vero, de se submisse sentiens, tanto sese impendit virtutum studio contentius, quanto noverat esse turpius, si, quae alios doceret, ipse non exerceret. Ideiroo fama ejus apud ipsam Pontificis Maximi aulam percrebuit, ad quam Avenionem in Gallias evocatus, cum beatissimo Papae Benedicto XII. in variis Ecclesiae causis ac perplexis negotiis recte gerendis operam ac consilium impendisset, Verdensi in inferiori Saxonia Ecclesiae anno 1337. multis difficultatibus implicite submissus, 38. anno, ut quidam numerant, Episcopus illius Ecclesiae est consecratus. Praefuit annis 19. placide et quiete, quo tempore arcem Rodenburg egregie communiit et valvas immunitatis Canonicorum in australi parte Ecclesiae erexit, aliaque praeclare cum bonorum omnium approbatione gessit. Atque utinam boni pastoris vocem audire morbidae quoque oves, aut visitationis suae diem agnoscere sapientes in populo in finem elegissent; fuisset iis profecto, quod optabat, omnibus modis dux vitae et salutis; nunc autem lapis offensionis, in quem irruentes misere sunt collisi. Nam cum patientiae et mansuetudinis oleo, vino etiam increpationis bonus Samaritanus nequidquam apud exulceratos proficeret, justitiae, quae conculcabatur, zelo armatus, pontificia auctoritate eosdem ad officium reducere et compellere incepit. Erant hi ex Clero, qui eo vecordiae devenerunt, ut amantissimum sui medicum ac patrem ad supplicium quaerere auderent. Ille vero tanta temeritate perspecta, ne gravioris peccati eisdem exsisteret occasio, anno 1356. Coloniam secedens, sanguinaria eorum consilia et manus effugit. Scripsit adversus rebellis sibi Cleri corruptos mores ac pro eorun-

dem reformatione librum, cui Clerus maledicum reposuit carmen:

*Daniel Antistes, non curat Clerus, ubi stes,*
*Optans, ut valeas, dummodo non redeas.*

Ex quo illius quidem innocentia, hujus vero perversitas a prudentioribus facile, si caetera deessent, possent aestimari. Addidit etiam Clerus malorum suorum cumulo illud, ut, excommunicatus justissimis de causis, suum ipse Episcopum, nullis imo probis de causis, excommunicaret. Atque in eo statu Coloniae aliquandiu vivens, decessit sepultusque est Aldenbergae sive in veteri Monte, Ordinis Cisterciensis celeberrimo Coenobio, in majori Ecclesia, ante sive prope fontem, qua ascenditur dormitorium, tempore Pilgeri seu Pillegrini Abbatis XXVI., qui, anno 1362. electus, desiit anno 1366. — De eo quoque egerunt Aegid. Gelenius Libr. III. de Magnitud. Colon. — Harzheim. Bibliothec. Colon. pag. 69.

## VII. WICBOLDUS CULMENSIS.

Engelbertus Coloniensis, senio et maximis, ut Trithem. refert [1]), debitorum oneribus gravatus, sed et paralysi dissolutus, sentiens, se ad rerum ecclesiasticarum minus sufficere gubernationem, de consilio suorum Cunonem, Archiepiscopum Trevirensem, in Coadjutorem assumpsit, cum consensu Capituli sui Coloniensis, quam assumptionem Urbanus Papa V. confirmavit. Engelbertus autem Archiepiscopus, hac provisione facta, ad privatae vitae tranquillitatem se contulit et, certis proventibus pro usu vitae suae retentis, non diu supervixit. Cuno autem, ut Vicarius in temporalibus et Spiritualibus, Dioecesin Coloniensem egregie gubernabat per triennium fere, pontificalesque ipse exercuit functiones per Dioecesin, civitate tunc interdicto ecclesiastico subposita. Cui anno 1270. successit nepos Fridericus Saro-Werdanus, qui in oneris vicarium assumpsit Wichboldum, Culmensem

1) Chronic. Hirsaug. ad ann. 1367. Tom. II. pag. 255. — Conf. Gesta Trevirer. Tom. II. pag. 284.

sive Curoniae in Prussia Episcopum, nescio, qua de causa Coloniae tunc exsulem. De eo refert Catalogus Abbatum Aldenbergensium sub Abbate Joanne de Schalverenburg, qui est ordine XXVIII. Abbas, „a Deo excitatum esse Spiritum Reverendissimi Patris Wichboldi, Episcopi quondam Culmensis, ut fabricam templi Aldenbergensis perficeret.“ Sed et pontificale munus obiisse discimus ex monumentis Aldenbergensibus, a Rev. Casparo Jongelino studiosissime conscriptis ac Coloniae 1641. editis: „Cum circa annum Domini MCCCLXXIX. consummata fuisset monasterii Aldenbergensis Ecclesia, dedicata est in honorem Dei, Deique Genitricis Sanctissimae Virginis Mariae, et SS. Confessorum Benedicti et Bernardi Abbatum, Sanctarumque XI. millium Virginum, per Dominum Wichboldum, Dei gratia Episcopum Culmensem, ex commissione Venerabilis in Christo Patris et Domini Friderici, Archiepiscopi Coloniensis, proxima Dominica post festum BB. Apostolorum Petri et Pauli anno supradicto. Ab eodem Reverendiss. Patre sequenti die consecratum est Altare gloriossimae Dei Genitricis et quatuor Ecclesiae Doctorum.“ Idem historicus in Joanne XXVIII. Abbate: „Sub hoc,“ inquit, „Abbate suscitavit Deus Spiritum Reverendissimi Patris Wichboldi, Episcopi quondam Culmensis, ut Ecclesiam Bergensem necdum consummatam perficeret, quod ipse summo pietatis affectu exsecutus est, exposuitque tum pro perfectione Ecclesiae, tum pro aliis necessitatibus 4070 fl. Rhenenses, et ita sacrae huic domui addictus est, ut relicta imperiali civitate Coloniensi hic sibi domum aedificari curarit, in qua usque ad finem habitans, toto vitae suae tempore omnibus perfectae humilitatis et sanctae conversationis exemplum praebuit.“ Idem in XXIX. Abbate Andrea scribit: „Tempore hujus Abbatis facta est fenestra illa magna et pulcherrima, quae est in frontispicio Ecclesiae occidentem versus, ad quod opus Reverend. Wigboldus Episcopus contulit 400 fl. Rhen.“ Idem Wichboldus Ecclesiam S. Cuniberti Coloniae duabus turribus reddidit politiorem, ut est in Chronico Coloniens. Episcoporum, in Brunone III. Denique in XXX. Abbate Aldenbergensi Joanne: „Sub hoc Abbate piissime in hoc monasterio defunctus est Reverendissimus Pater Wichboldus, Episcopus Culmensis, hujus

Coenobii affectuosissimus Benefactor ac Patronus, sepultus in loco totius Ecclesiae honoratissimo, in medio Chori sacerdotalis." — Sepulchrum habet satis sumptuosum, elevatum ad tres circiter pedes, integre coopertum lamina aenea, per circuitum vero sepulchri artificiose depicta habentur mysteria passionis Salvatoris nostri. Cum autem Chronicon Culmense eum ad annum 1400. decessisse indicat, errat, ut liquet ex Epitaphio, quod est inscriptum monumento illius: „Anno Domini MCCCXCVIII. die XX. mensis Julii obiit Reverendiss. in Christo Pater et Dominus D. Wichboldus, Episcopus Culmensis." Cujus nativitatis et consecrationis in Episcopum tempora sequenti metro annotantur:

Ecce vèr et Lilium me mundi sub Policarpo
Duxit in exilium, qui mente polum modo carpo.
Desino defunctus, proprio bis nomine functus [1]),
X ter et L, junctus pietate Dei sacer unctus,
Terrae terrenum reddens, sed Spiritus illum
Cernere tranquillum, qui sit sibi vivere plenum.

## VIII. EBERHARDUS SEBASTENUS.

Eberhardus de Westerheim, Episcopus Sebastensis ab urbe vel Sebastaea, quae est Armeniae secunda metropolis apud Nilum Doxopatrum [2]), vel a Sebaste in Palaestina prima. De eo rem dignam scitu, et quae praeter alia indicia munus pontificale ab illo sancte obitum demonstret, adjungimus ex Gelenio de Magnitud. Coloniae Libr. III. pag. 412., qui ex tabulariis Praedicatorum sua hausit: „Admodum Reverend. et venerabilis P. Frat. Everhardus de Westerheim, nobilis genere, Episcopus Ecclesiae Sebastiensis, et Vicarius in Pontificalibus Reverend. Praesulis Archiepiscopi Friderici, cujus tempore quoddam dignae animadversionis exemplum in eos contigit, qui divina Sacramenta temerare audacissime non verentur, dignum, quo religionis et justitiae custodes aemulentur. Everhardus, praefatus Episcopus, cum Co-

1) Wichbold, quasi *cito cedens;* huc alludit versus tertius, siquidem primo cessit Episcopatu, deinde vita.

2) *Schelstrate* Antiquit. illustrat. loc. cit.

loniae Ecclesiam S. Lupi noviter reparatam consecrasset circa festum S. Catharinae Virg. et Mart., ac deinde Sacramentum confirmationis ibidem conferret, insolentes quidam et sacrilegi, divinorum temeratores, in vicinia in impiorum consilio congregati, unum ex ipsis vecti alicui imposuerunt, quem ad Sacramenti... in dictam Ecclesiam detulerunt, et in praesentia Episcopi illum statuerunt, importune instantes, ut rusticum taliter deportatum confirmaret. At vero vir pius et zelo religionis inflammatus injuriam aequo animo sustinere non poterat, nec debebat; ideoque juramento contestabatur, se episcopalibus functionibus nolle de caetero operam impendere, nisi justo supplicio in hujusmodi sacrilegos derisores animadversum fuisset. Unde mox causa in judicio cognita, tres illorum ferro candenti in maxillis fuerunt concremati et exusti, et quartus, qui primas nequitiae tenuerat, capite plexus est." — Sepultus est autem Episcopus apud PP. Praedicatores Coloniae, habetque sepulchro insculpta paterna quidem insignia, eadem, quae hodieque manent nobilissimae familiae de Westrum, materna vero alterius aeque nobilis Fridag, tum hujusmodi inscriptionem: „Anno Domini MCCCXCII., in Vigilia B. Nicolai, obiit Venerabilis Dominus Frater Everhardus de Westerheim, Episcopus Ecclesiae Sebastiensis, Ord. FF. Praedicatorum. Anima ejus per misericordiam Dei requiescat in sancta pace. Amen."

## IX. EBERHARDUS CARONENSIS.

Eberhardus ex patricia apud Ubios familia de Muisgen, id est, Musculorum gente, Episcopus Caronensis, alias *Carron*, ab urbe episcopali sub Metropolitano et Patriarcha Antiocheno nominatus. Is ex Carmelitarum Ordine assumptus Friderici de Sarwerden Coloniensis Archiepiscopi in Pontificalibus Suffraganeum egit. Obiit Coloniae anno 1397. XI. Kalend. Febr.

## X. CONRADUS VENECOMPONENSIS.

Conradus de Arnsberg, Episcopus Venecomponensis, sive Vencoporiensis aut Venetopolitanus in Armenia, Suffraganeae Sedis Sergiopolis, quae est urbs Syriae ad Euphratem fluvium, sub

Patriarcha Antiocheno [1]). Is spreta saeculi, quam ex majoribus Comitibus ac Ducibus acceperat, gloria, sacro sese instituto Carmelitarum familiae addixerat, sed in ea, dum latere desiderat, a Domino, exaltante humiles, altius evehitur. Nam post varia in Ordine egregie functa officia, anno 1399. in locum supradicti Everhardi de Muisgen assumptus est ab Archiepiscopo Friderico in Suffraganeum seu Vicarium in Pontificalibus generalem sub Titulo episcopali Venecomponensi. In Novembri ejusdem anni consecravit Coloniae parochialem Ecclesiam S. Lupi, teste lamina quadam cuprea in aere fusa, in dicta Ecclesia ad columnam affixa, quae sic habet: „Universis Christi fidelibus pateat evidenter, quod hanc Ecclesiam S. Lupi alias ruinosam honorabilis vir Wilhelmus de Herne honorifice reformari fecit, quam Venerabil. Pater et Dominus D. Conradus, Venecomponensis Episcopus, consecravit anno Domini MCCCXCIX. proxima Dominica ante festum Sanctae Catharinae, cujus dedicationis festum singulis annis eadem Dominica est peragendum, ut Christi fideles, eam devote visitantes, indulgentias ibidem concessas consequantur.“ — Anno 1429. XIII. Kalend. Maji in domo Fratrum S. Crucis, Ordinis S. Augustini in Schwarzenbroich „Conradus, Venecomponensis Episcopus, Coloniensis in Pontificalibus Vicarius, consecravit inferiorem partem Ecclesiae ac duo Altaria.“ Aedificari quoque fecit suis expensis Sacellum Deiparae Virginis Coloniae in Ecclesia Ordinis, quod ipsemet consecravit ipso Virginis immaculate conceptae sacrato die. Sepultus est Coloniae apud Carmelitas, habetque epitaphium, quod ab uno latere repraesentat aquilam, Arensbergensium comitum insigne, ab altero vero exsultantem sine fraeno equitum pullum, insigne Ducum Westphaliae, cum hujusmodi epitaphe incisa aeri: „Anno Domini MCCCCXXXIII., die ultimo mensis Julii, obiit quondam R. P. et Dom. D. Conradus de Arnsberg, Dei gratia Episcopus Venecomponensis, Ordinis Carmelitarum, Reverendiss. in Christo Patris et Domini nostri D. Theodorici de Mörsa, eadem gratia Sanctae Coloniens. Ecclesiae Archiepiscopi, in Pontificalibus Vicarius Generalis, hic

1) *Lequien* Tom. III. Oriens illustrat. pag. 1195.

sepultus, cujus anima per piissimam Dei misericordiam requiescat in sancta pace. Amen."

## XI. WILHELMUS ALBICASTRENSIS.

Post obitum Conradi statim in Suffraganeum a Theodorico Archiepiscopo electus est Wilhelmus, nescio, cujus generis vel Ordinis, et ordinatus Episcopus Albicastrensis Ecclesiae, quae erat in provincia Byzacena Africae. De eo habemus sequens monumentum, sufficiens ad demonstrandum ejus in Pontificalibus Vicariatum: „Nos Wilhelmus, Dei gratia Episcopus Albicastrensis, Reverend. in Christo Patris ac Domini D. Theodorici, Archiepiscopi Coloniensis, per civitatem ac Dioecesin in Pontificalibus Vicarius Generalis, praesentibus protestamur, quod anno Domini MCCCCXXX. quarto, ipsa die Dominica, qua cantatur: *Quasi modo geniti*, quae fuit quarta mensis Aprilis [1]), in domo Domini Plebani in Hulse, dum Ecclesiam consecravimus, Conrado Beck primam tonsuram clericalem contulimus, cooperante nobis gratia Spiritus septiformis, dantibus eidem praesentem litteram Sigillo nostro munitam in testimonium super eo datum, anno Domini, die et loco, quibus supra." Obiit probabiliter vel exeunte hoc anno, vel ineunte sequenti.

## XII. JOANNES VENECOMPONENSIS.

Joannes Schleeter, Tremoniensis ex Ordine Fratrum Minorum, a Theodorico Archiepiscopo, ut Annales habent Novesienses [2]), ut Suffraganeus constitutus, consecravit anno MCCCCXXXV. in die S. Gereonis Ecclesiam Corporis Christi et Coemeterium. De hoc quoque Cratepolius in Theodorico de Mörsa haec notat: „Habuit Theodoricus Suffraganeum in Spiritualibus D. Joannem Schleeter de Ordine Fratrum Minorum, Theologum insignem. Obiit anno 1457." Reconciliavit anno 1446. Capellam S. Nicolai in Burghoff. In libro defunctorum Conventualium haec de eodem leguntur:

---

1) Fortasse legendum: *tertia Aprilis*. Nam 1434. erat Lit. Dom. b. et pascha 27. Martii.

2) Tom. IV. Collect. ampliss. Martene. pag. 603.

„Anno MCCCCLVII., IV. Kalend. Junii, obiit Reverendus Pater et Dominus, SS. Theologiae professor, Fr. Joannes Schleeter, Episcopus Venecomponensis, ac Suffraganeus gratiosi Domini Theodorici de Mörsa, Archiepiscopi Coloniensis.“ Accidit hoc tempore res memoranda. Adolphus Cliviae per haec tempora Dux, ob Caesaris insulam, Coloniensi ratis pactis redditam, dissentiebat acriter. Cum autem Susatensis civitas ab Archiepiscopo suo et Domino anno 1440. coepit dissentire, avide eam occasionem sui ulciscendi amplexus est Clivius, et anno 1444. die X. millium Martyrum in praedictam urbem manifeste jam deficientem invectus, hominium ab urbis civibus in Coloniensis Archiepiscopi injuriam accepit: et quoniam censuris agebatur adversus insidiatorem bonorum ecclesiasticorum, Dux in praecipitio, quod solum supererat remedium, ad superiorem potestatem, videlicet Romanum Pontificem [1]) recurrit, ab eoque, quibus rationibus, facile est ex offensionum natura aestimare, impetravit (uti volunt scriptores Theodorico non satis aequi), ut Theodoricus privaretur Archiepiscopatu per sententiam Sedis Apostolicae, quem etiam Adolpho Clivio, juniori filio Ducis, contulit, qui tamen vel non acceptavit metu impendentis molis insuperabilis et invidiae plenissimae, vel accipere posse desperavit. Interim Eugenius Papa IV. Bulla, XVII. Kalend. Febr. 1444. data, quae incipit: *Pastoralis officii etc.* [2]), terras Clivienses ab omni jurisdictione, potestate et superioritate spirituali Coloniensis Archiepiscopi et Episcopi Monasteriensis, sibi ac Romanae Sedi rebellium et inobedientium, exemit et liberavit, easque Trajectensi Episcopatui incorporavit, ac Trajectensi Episcopo injunxit, ut Episcopum titularem deputet, qui juxta beneplacitum Ducis fungatur episcopalibus muneribus. Constitutus est igitur vir religiosus Henricus de Mariaenau et consecratus Episcopus Bornaxeugensis, residentiam suam habens

---

1) Eugenium Papam IV., cui Basileenses Schismatici Amadeum sive Felicem Antipapam opposuerunt, cui Antipapae tunc adhaesit Coloniensis Archiepiscopus Theodoricus, cum Dux Cliviensis partes Eugenii sustineret.

2) Bullam integram vid. Tom. V. Concil. German. pag. 283.

Calcariae[1]). Sequenti anno novam dedit Eugenius IV. Epistolam, datam Romae VI. Id. Julii 1445., quae incipit: *Commissam nobis coelitus etc.* Hac omnes personas ecclesiasticas et saeculares Ducatus Cliviensis a juramentis Archiepiscopo Coloniensi et Episcopo Monasteriensi praestitis absolvit, et banna nullius exsistere roboris decernit. Verum status hic non diu duravit. Sublato enim mox schismate, Eugenius Papa omnes illas contra eos, qui Antipapae Felici adhaeserunt, antea editas Constitutiones revocavit et cassavit, omniaque in antiquum ordinem suum restituit[2]), quae postea ejus Successor Nicolaus V. Constit. die 10. Augusti 1447. confirmavit.

## XIII. HILGERUS BUDUANENSIS.

Hilgerus de Burgis, Theologus Ordinis Carmelitarum, prius Confessarius et Consiliarius Archiepiscopi Theodorici Coloniensis, dein Suffraganeus Leodiensis, sub titulo Buduanensis, quae est Sedes episcopalis Provinciae Praevalitanae Dioecesis Illyrici orientalis, sub Metropoli Scodrorum[3]), tandem et Coloniensis Archiepiscopi Suffraganeus ab anno 1437., ergo adhuc vivente supra dicto Joanne Schleeter. Effigies ejus olim cernebatur in monasterio Carmelitarum Coloniensi, cum hac subscriptione: *R. D. Hilgerus, Episcopus Buduanensis, Suffraganeus Coloniensis.* Obiit Leodii in Ecclesia Ordinis sui anno 1452.

Inter ipsum et Nicolaum de Cusa, Apostolicae Sedis tunc temporis Legatum, gravis exstitit dissensio et pugna, quam refert Adrianus de veteri Busco, Monachus S. Laurentii Leodiensis, ex

---

1) Henricus constitutus ut Suffraganeus in *Pontificalibus*, Joannes autem Trajectensis Suffraganeus, Episcopus Corckagensis, erat in *Spiritualibus* Vicarius generalis. In nostro codice diplomatico Archidioecesis Colon. Tom. II. pag. 377. attulimus confirmationis monumentum de 6. Augusti ann. 1446., quod sic incipit: Joannes, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Corckagensis, Rev. in Christo Patris et Dom. Rudolphi, Episc. Traject., in *Spiritualib.* Vicarius per terras illustr. principum Ducis Clivensis.

2) Bullarii Tom. I. inter Constit. Eugenii, Const. 29. §. 7.

3) *Lequien* Tom. II. Orient. illustrat. pag. 277.

relatione cujusdam venerabilis religiosi, Licentiati in jure canonico, Ordinis Cisterciensis, qui praesens fuit et haec et alia plura vidit et audivit. Igitur in opusculo: De rebus Leodiensibus sub Joanne Heinsbergio et Ludovico Borbonio Episcopis scribit ad ann. 1450.: „Dominus Legatus multum fuit indignatus Domino Hilgero, Suffraganeo Domini Leodiensis, dicens, eum non habere exsecutionem ordinis, quia ille, qui eum ordinaverat, fuerat Romae degradatus et Coloniae in Rhenum projectus. Hilgerus e converso respondit, se rite Coloniae sub testimonio trium Episcoporum ordinatum, nec fidem adhibendam his, quae a Legato dicebantur" [1]). Sed accuratius et fusius rem describit Adrianus in Diario suo: „Inde Legatus, descendens ad Coloniam, quendam Episcopum, qui vices gerebat in Pontificalibus, capi fecit et incarcerari, et traditum Curiae saeculari in Rheno submergi, eo quod praedictus Episcopus Romae, tamquam falsarius deprehensus, publice degradatus, et potestati saeculari traditus, cum occidi deberet, multis pro eo rogantibus, juravit, ultra mare transire, et fidem infidelibus praedicare, et usque ad mortem numquam Europam intrare. Sed cum mare transisset, taedio affectus ad Coloniam venit, et defuncto Suffraganeo Episcopi, ibidem vices gessit [2]). Eodem tempore Hilgerus, Ordinis Carmelitarum, vices gerebat in Pontificalibus Domini Leodiensis, et ipse Hilgerus ordinatus fuerat Coloniae ab Episcopo supradicto degradato, propter quod Dominus Legatus male contentabatur de eo. Cum igitur Dominus Legatus esset circa partes Coloniae, accesserunt ad eum amici sui de Leodio, Magister Nicolaus Baest, et alii, et Magister Petrus de Molendino, Decanus S. Pauli Leodiensis..... Cum autem Legatus venisset in Tongris, invenit Dominum Hilgerum sedentem ad confessiones audiendas; quem cum indignatione repulit coram omnibus, dicens, eum indignum ad confessiones au-

1) *Martene* Tom. IV. ampliss. Collect. pag. 1221.

2) Haec non facile combinare possumus cum nostris datis historicis. Ab anno enim 1434. usque ad ann. 1457. vixit Joannes Schleeter, Episcopus Venecomponensis, Suffraganeus, qui 1446. reconciliavit Capellam S. Nicolai. An forsitan ejus annus obitus figendus est ad ann. 1447., ita ut in litteris MCCCCLVII. desideretur X. ante L.?

diendas et Sacramenta ministranda propter causam superius tactam. Et male contentabatur de Canonicis, quibus commiserat confessores idoneos eligere; sed illi dixerunt, se causam praedictam ignorasse. „Tandem Leodii Dominus Hilgerus, reconciliatus cum eo (Nicolao Legato), mansit in suo Ordine, et Legatus per Papam fecit suppleri omnes defectus, sicque ordinati ab ipso non fuerunt amplius molestati."

## XIV. HENRICUS VENECOMPONENSIS.

Henricus de Ravennaw, Germanice *Rübenach*, sive Ravennaco Dioecesis Trevirensis, ex Ordine Praedicatorum, SS. Theologiae Doctor, Episcopus Venecomponensis, Theodorici et postea Ruperti Archiepiscoporum Suffraganeus, consecravit in templo Vallis B. Mariae Virg., prope Arweiler oppidum, Altaria, et 1470. in festo SS. Petri et Pauli Marcoduri Ecclesiam Conventus FF. Minorum et Altaria tria, summum in honorem S. Mariae Magdalenae. Ita Annales MSS. Marcodurani. Cum vero anno 1472. coepisset inter Capitulum et Archiepiscopum gliscere discordia, ita ut, invito Ruperto, Coadjutor daretur seu Administrator Hermannus Landgravius [1]), et exitiale bellum Coloniensi Dioecesi inveheretur, Suffraganeus, sui Archiepiscopi partes sequens, apud Rodekirchen pagum una cum Wilhelmo Laner a Breidenbach, Abbate et reformatore Tuitiensis Monasterii Archiepiscopique consiliario ac Sigillifero Coloniensi, ab adversariis captus, male tractatus fuit, atque, ut habet MSS. Chronicon Coloniense, manibus aliisque partibus corporis foede est vulneratus. Is, Hermanno Landgravio rerum plene potito, seu sponte, seu alia de causa desiit in Pontificalibus agere Vicarium, contentus Coloniae Theologiam profiteri, in qua deinde Decanum egit anno 1484., uti in decanalibus libris annotatum est. Sepultus est Confluentiae in monasterio Dominicanorum. Confluentini referunt, Henricum hunc de Ripeniaco analphabetum agricolam fuisse, quatuor ad stivas usum equis, sed tandem anno aetatis trigesimo pertaesum inscitiae, deserto aratro, litteras didicisse tanto profectu, ut, in Ordinem PP. Praedicatorum

1) Conf. Codex diplomatic. noster. Tom. II. pag. 421.

assumptus, Theologiam cum laude docuerit, et praecipuis suae religionis muniis sit perfunctus. Posuerunt illi hujusmodi epitaphium: „Obiit Reverendus in Christo Pater, Fr. et Dominus Henricus de Rivenaco, Theologiae Professor, Inquisitor haereticae pravitatis, quondam Provincialis hujus Provinciae Teutoniae Ordinis FF. Praedicatorum, et Episcopus Venecomponensis, anno Domini 1498, XIII. Octobr.

## XV. ARNOLDUS CYRENENSIS.

Henrico supradicto a Proepiscopatu Coloniensi amoto cum mutatione Tituli Venecomponensis, munus ejus administravit Arnoldus de Unckel, ex Ordine FF. Minorum Theologus, Episcopus Cyrenensis, Hermanni IV., Landgravii de Hassia, Suffraganeus, quamquam Archiepiscopus ipse non raro episcopalia munia obiret[1]). De infelici morte Arnoldi haec habent Annales Mss. Observantium et Necrologium Minoritarum Conventualium: „Anno MCCCCLXXXII. ipso die S. Vincentii Martyris hac mortali vita migravit casu inopinato Reverendus P. et Dom., Fr. Arnoldus de Unckel, SS. Theologiae Professor, Episcopus Cyrenensis, et Reverendiss. Hermanni, Landgravii de Hassia, Colon. Archiepiscopi, in Pontificalibus Vicarius, una cum Sacellano suo, fratre Ludovico de Melen, et aliis quatuor hominibus hoc die in Rheno submersus. Sepultus in Sacello Divorum Apostolorum.“ Hoc autem contigisse infortunium inter Wesselich et Lulsdorf, spectante ex alia navicula Fr. Christophoro de Nureberg Dominicano, narrat MSS. Diarium P. Servatii Fanckel, Ordin. Praedicatorum. Bruschii aut Cratepolii Catalogus addit, sex homines cum eo magna tempestate in Rheno periisse; ipsum nempe Episcopum sextum numeravit. Submersa sunt cum eo insignia pontificalia, quorum partem aliam Montenses, aliam Colonienses piscando extraxerunt et retinuerunt. — Porro Cyrenae plures sunt, una Africae nobilissima, a qua Cyrenaica regio nomen habet, quae et Pentapolis dicitur a quinque nobilissimis in ea urbibus. Haec Cyrene sita est sec. Ptol. in gradu long. 50., latitud. boreal. 31, 20., et habuit nobilissimam Academiam, ex qua

1) Conf. *Trithem.* Chronic. Hirsaugiens. Tom. II. ad ann. 1480.

quidam disputationi S. Stephani interfuerunt, Act. VI.; distat ab ora maris mediterranei 12. parvis milliaribus. Hujus Episcopus fuit anno 1478. Matthias Emich, Andernaci natus, Poppardiae Ord. Carmelitarum professus, Bononiae in Italia promotus Doctor, Moguntini Archiepiscopi Suffraganeus[1]). Altera ejus nominis urbs est Archiepiscopalis in Syria, cujus titulum habuit quidam Episcopus a Paulo V. Papa creatus, qui anno 1612. in Persia residebat, ut est in litteris PP. Carmelitarum excalceatorum inde datis ad suum Generalem. Tertia est in Cypro, cujus ultimus Episcopus designatus fuit Nicolaus Audeet, Cyprius Carmelita, qui a Turca una cum sociis inde pulsus, Venetiis exsulavit, et demum merito vitae et doctrinae fulgore Prior generalis Ordinis sui est electus. Quarta est in Terra Sancta, Episcopali dignitate honorata, una ex Decapoleos urbibus Marci VII., sita ad mare vel stagnum Genesareth, et ex hac oriundum putat Maldonatus Simonem illum Cyrenensem, patrem Alexandri et Rufi, qui angariatus portavit crucem post Jesum, et hujus Episcopii titulum hic et sequentes multi Colon. Proepiscopi obtinuerunt, idque inter caetera argumenta demonstrant insignia, quae fuerunt in vitrea fenestra in ambitu Carthusiae Coloniensis, in quibus Simon Cyrenensis crucem bajulans exprimitur. Mansit autem titulus iste apud Colon. fere Suffraganeos, donec a vidua quadam Romana, pio in S. Simonem Cyrenensem affectu, trecentis Ducatis annuis dotatus est et D. Commendatori S. Spiritus in urbis Romanae Suburbio in Saxia perpetuo assignatus.

## XVI. JOANNES CYRENENSIS.

Joannes Spender Marpurgensis, Ord. FF. Minorum, SS. Theologiae Professor, Episcopus Cyrenensis, anno 1482. Suffraganeus Coloniensis est factus. Juxta Jongelinum consecravit anno 1483. coram fratribus suis in Campo Henricum Abbatem Campi XXVII., eodem anno electum. Anno 1484. post festum Purificationis descendit pro consecrandis Capellis et Altaribus in Urdingen, Kempen,

1) Conf. *Joannis* in Elench. Suffraganeor. Moguntin. Tom. II. Rer. Mogunt. pag. 437.

et Wachtendonk. Sed anno 1485. in Westphaliae limitibus sub parochia Espe sacellum S. Ursulae in pago Nideren Schlederen consecravit alius Joannes, Adramittenus Episcopus, Suffraganeus Coloniensis sub Hermanno, ex Landgraviis Hassiae, Archiepiscopo Coloniensi. Erantne ergo duo ejusdem nominis Joannes, eodem tempore Suffraganei Colonienses? — Porro Cyrenensis anno 1488. die 21. Aprilis concessit indulgentias visitantibus Crucem Ellensem apud Marcodurum, dato diplomate: „Nos Joannes, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Cyrenensis Coloniae.“ Anno sequenti benedixit Andernaci imaginem beatissimae Virg. Mariae, dato diplomate, quod integrum originali pergameno habemus: „Nos Joannes, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Cyrenensis, sacrae Theologiae Professor, Reverendiss. Patris et Domini D. Hermanni, Archiepiscopi Coloniensis, in Pontificalibus per civitatem et Dioecesin Coloniensem Vicarius generalis, praesentibus protestamur, quod imaginem beatissimae Virginis Mariae pro Coenobio Ordinis Minorum in Andernaco ea, qua decuit, reverentia benediximus; cupientes, ut jam dicta Virgo Maria apud effigiem ipsam jugiter veneretur, congruis quoque frequentetur honoribus; Nos omnibus Christi fidelibus vere confessis et contritis, quicumque coram praefata imagine caput suum debita cum devotione inclinaverint, tria *Ave Maria* flexis genibus ibidem dixerint, toties, quoties hoc fecerint, de omnipotentis Dei misericordia confisi, quadraginta dies indulgentiarum ex parte Reverend. Domini nostri Archipraesulis Coloniensis supradicti, totidemque nostra ex parte de injunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In cujus testimonium sigillum nostrum praesentibus appendendum duximus. Datum Coloniae in domo nostrae habitationis sub anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, die vero decima quarta Aprilis.“ In appenso parvo sigillo figura et inscriptio non amplius cognosci potest. — Anno 1491. in festo SS. Gereonis et Victoris consecravit sub honore S. Elisabeth viduae Aram Sacelli domus infirmorum in Conventu FF. Minor. Marcoduri. — Ejusdem etiam Joannis habemus originale instrumentum dispositionis testamentariae cum transfixis litteris obligatoriis senatus Marpurgensis pro eleemosynis prae-

standis in exsequiis curandis, exaratum lingua Germanica, propria ejus manu subscriptum sigilloque munitum, quod sic incipit: In Godes namen, Amen! Kund vnd offenbar sy allen den ghenen die dit geynwerdige offenbar Instrument sullen sehen oder hören lesen, das in dem Jar nach der Geburt Christi Jesu unszers hern Tusent vverhundert seck vnd nüntzich in der vverzeynden Indiction, uff Donrstag des eyn vnd wenstzigsten dages des Mondes Aprilis zu zehen vre des morgens oder nahe daby babstms des allerhilligesten in God vader vnd Hern H. Alexander van gotliken vorsichtigkeit babst des Sesten in syme waden zar der Erwerdige in Godvatter vund Hern H. Johan Spender van Gods vnd des hilligen stuls yn Rom gnaden Byschoff yn Cyrene, Ordinis sancti Francisci, doctor der hilligen Schrifft, gemeyn stadthalder in Bischofflichem Ampt des Erwerdigsten in God Vader vnd Hern H. Hermann, Ertzbischoff des Stiffs Coellen etc." Appendent tria Sigilla a) Notarii, b) Civitatis Marpurgensis et c) Episcopi Joannis, quod est in forma crucis cum scuto in medio, et supra crux parva cum subscriptione in inferiori parte: *Sigillum Fr. Joannis.* — Ejusdem viri monumentum quoddam exstat in Ecclesia Hoeckeswagensi, cui duas Dalmaticas donavit; in his insignia sunt in scuto decussato prima parte quidem canis exsultans, altera nigra crux, quarta stella nigra, nam tertia parte notatum observari nequiit aut vacavit. Unde subiit admiratio, cum in Carthusiae Coloniensis ambitu ejusdem prorsus nominis Proepiscopus et Ordinis Professor visus est alia signa praeferre, videlicet: in scuto decussato prima parte vir crucem portans, altera character in plebejis usitatus insignibus crucem referens, qui tertia parte repetitur, et quarta exprimitur aspergillum una cum vase aquae benedictae. An idem igitur duo aut tria insignia tantopere mutasse sit dicendus, an duo fuerint ejusdem nominis, tituli ac patriae viri, aliis judicandum relinquimus. Obiit Joannes quinta Decembr. 1503. in Marpurg, ut discimus ex MSS. Annalib. FF. Minor.

## XVII. THEODORICUS CYRENENSIS.

Theodoricus Wichwael de Castern, Ord. S. Augustini, uti in MSS. ad Corporis Christi nominatur, Episcopus pariter Cyrenensis,

primo Hermanni supradicti, deinde, eo mortuo ann. 1508. in Septembri vel Octobri, Philippi de Duna, Comitis de Falckenberg et Oberstein, Archiepiscopi, Suffraganeus, consecravit anno 1506. die Visitationis Mariae Sacellum septem Gaudiorum Coloniae, anno 1507. in Octava Pentecostes Claustrum Coloniense FF. Minor., et eodem anno ambitum Monasterii ejusdem Ordinis Marcoduri. Anno 1509. in festo Visitationis consecravit Capellam septem Gaudiorum B. Mariae Virg. apud Regulares Corporis Christi Coloniae, sic et in Aprili 1510. Patricii Rinck Coloniensis in domo sua Koenigstein in der Schildergass Sacellum in honorem Trinitatis, et eodem anno Sacellum in Koenigstein. — Mortuus est probabiliter ante ann. 1520. Nam eo anno Joannes Meler ex Ordine S. Augustini, Episcopus Tricalensis, Suffraganeus Episcoporum Osnabrugensis et Monasteriensis, Coloniae prope Fratres Conventuales, in platea, quam arctam vocant, Deo dedicavit Sacellum sub titulo Praesentationis B. M. V. ad usum Sororum tertiae Regulae S. Francisci, vulgo in conventu Reinkens. Fuit quoque Joannes hic per Archidioecesin commissarius Archiepiscopalis, uti patet ex hoc documento: „Anno 1521. die duodecima Februarii consecrata est Capella in den zuggelen prope Camen in honorem S. Crucis per Venerabilem D. Joannem Meler, Episcopum Tricalensem et Suffraganeum Monasteriensem et Osnabrugensem, et ex commissione gratiosissimi Dni. Hermanni de Weda, Archiepiscopi Coloniensis, in sua Dioecesi Commissarium."

## XVIII. QUIRINUS CYRENENSIS.

Anno 1515. undecima Februar.[1]) mortuo in Poppelsdorf Philippo Archiepiscopo, eodem anno electus est Hermannus V. de Weda comes, qui post viginti annos ob haeresin remotus est. Sub ipso Suffraganeus fuisse invenitur Quirinus de Wilich, SS. Theologiae Licentiatus et Professor, vir eruditione et gravitate insignis et quondam in Laurentiano Gymnasio Lector, Episcopus Cyrenensis, ejusdemque Hermanni, cujus Confirmationem Aposto-

1) Ita Necrologium MS. Coloniense; ergo non in Augusto, ut alii habent.

licam a Leone Papa X. procuravit, Suffraganeus. Anno 1526. Kempenam missus ab Hermanno Wedano, Archiepiscopo Coloniensi, pro pastore eam rexit Ecclesiam, invito Abbate Gladbacensi. Ejus rei causa lis mota Romae agitata est usque ad annum 1554., quando, sententia pro Abbate Gladbacensi lata, apud Caesaris insulam partium tractatu lis est sopita. Mansit interim in parochiae administratione idem Quirinus usque ad mortem fere, cujus in confirmationem inservire possunt litterae in codice nostro diplomatico Archidioeces. Colon.[1]) allatae, quae incipiunt: „Coram Domino Quirino, Episcopo Cyrenensi, Archiepiscopi Hermanni et Electoris Vicario in Pontificalibus, nec non parochialis Ecclesiae Kempensis pastore etc. Datum in Kempis anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo primo, die duodecima mensis Februarii.“ Ipse etiam consecravit Abbatem Campensem, uti MS. R. D. Wilmii docet: „Anno MDXXIX. Joannes Ingenracy electus in XXXIII. Abbatem Campi, a duobus Abbatibus sui Ordinis in sacram Joannitarum aedem Coloniae honorifice deductus, per Reverend. Dominum Quirinum, illustrissimi Hermanni a Weda in Pontificalibus Vicarium, II. Nonas Julii episcopali benedictione est confirmatus.“ De eodem aliud suppeditavit monumentum cit. Wilmius, editum pro Sacello quodam S. Huberti prope Kempenam, cujus hoc est initium: „Coram Domino Quirino, Episcopo Cyrenensi etc.“ nisi idem sit, quod supra attulimus, etiam ad Sacellum S. Huberti spectans. — Interfuit idem Concilio Provinciali, quod anno 1536. Hermannus de Weda, cum adhuc catholici Principis partes ageret, collegit Coloniae adversus haereseomaniam, quae tunc Germaniam dementabat, auctoribus profugis ab ecclesiastica disciplina viris et mulieribus. — Obiit anno 1537., sepultus in Choro apud S. Maximinum Coloniae, teste epitaphio: „Anno Domini 1537., die nona mensis Novembris, obiit Reverendus in Christo Pater, Dominus Quirinus op dem Veld a Wilich, Episcopus Cyrenensis, Reverendissimi Dom. Hermanni, Archiepiscopi Coloniensis, in Pontificalibus Vicarius hic sepultus.“

---

1) Tom. II. pag. 458.

Hoc tempore *Georgius Schotbruch*, Archiepiscopus Londunensis, alias Lundensis, e Dania exsul, cum Christiernus I. istic ostium haeresi Luthericae aperuisset, vixit ad SS. Apostolos Coloniae Decanus, vir exemplaris vitae, qui *Surio*, familiarissimo suo, teste, aspero cilicio ad nudum corpus accinctus, in precibus erat assiduus, rara prudentia et morum gravitate ornatus, adversus haereses Coloniensem Dioecesim propugnavit. Tandem magnum sui desiderium relinquens, cum in Italiam abiisset, praematura morte abreptus est. *Vide Surium in praefatione operis Joannis Gropperi de Venerabili Sacramento.* Non impune videtur hunc aliosque catholicae religioni addictos Rex regno exegisse, si quidem, uti religionem cum talibus viris proscripserat, ipse ab evangelii novi cultoribus projectus, exsul in carcere mortuus, exemplum factus est omnibus religionem catholicam permutare cupientibus.

## XIX. JOANNES CYRENENSIS.

Joannes Nopelius I., Lippiensis, Episcopus Cyrenensis, Hermanni de Weda in Spiritualibus Vicarius ac Suffraganeus, SS. Theologiae Licentiatus ac Metropolitanae Coloniensis Ecclesiae Canonicus Presbyter, praeclare et invicte stetit in summo illo Coloniensis Ecclesiae discrimine, quo deterrima haeresiarcharum et apostatarum colluvies, anno 1543. seducto Hermanno Archiepiscopo, accinxerat se ad depraedandas nobilissimas Europae Ecclesias et animas Orco mactandas. Usus est in hoc praenobili certamine sociis aliquot pietate et doctrina praestantibus sibique simillimis viris, Domino Hermanno Blanckfort, Monasteriensi Theologiae Licentiato et summae Aedis Canonico ac Columbae pastore, P. Petro Canisio, Theologo et in Hermanni causa Legato, praeter eum, qui in hoc negotio primas tulit, Joannem Gropperum, D. Gereonis Canonicum, trium Doctorum fratrem, qui ob virtutes illustrissimas a Paulo IV. Pontifice praeter suam et caeterorum exspectationem in Cardinalium S. R. Ecclesiae Senatum est cooptatus. Nopelii gesta describere pontificalia, calamus non sufficit. Mortuus est vir aeterna memoria dignus anno 1556., die sexta Julii, sepultus in summa Aede Coloniae apud illustres Doctores,

cum insigni virtutum suarum elogio, ut scribit Cratepolius in Hermanno V., Colon. Archiepiscopo.

**Epitaphium ejus ante Sacrarium Metropolitanum.**

Occidit ante diem vindex pietatis avitae,
Moribus ingenuis, consilioque potens.
Impia convulsit praeclara dogmata voce,
Haereticasque gravi contudit ore feras.
Siderio pavit te, diva Colonia, verbo,
Et veteris docuit Relligionis opus.
Ereptum doleo decus et simul Urbis honorem,
Non revehent talem saecula multa ducem.
Dignum, longaevi superet qui Nestoris annos,
Sustulit e medio mors inopina virum.
Corpus humo tegitur, mens lucida templa subivit;
Dum fluet hac Rhenus, fama superstes erit.
Vos decet, o Cives, gravium meminisse laborum,
Flagrantesque Deo congeminare preces.

## XX. EVERHARDUS, CYRENENSIS DESIGNATUS.

Everhardus de Bilck, alias Billicus, Billick dictus, non Coloniae, neque in oppido Dioecesis Monasteriensis, sed in veteri vico Bilck, Dioecesis Coloniensis, oriundus, cujus familia longiori tempore bona sua in parochia Bilck habuit, quae postea Adolphus de Bilck pro fundatione novae Vicariae in collegiata Ecclesia Dusseldorpiensi dedit. Domus ejus usque in hanc diem dicitur auf dem Steinberg, unde illi Billici cognomen *Lapicidae* acceperunt. Everhardus Ordinem Carmelitarum ingressus, SS. Theologiae Doctor renuntiatus, talis evasit, qui doctissimis piissimisque sui temporis viris annumerari possit et debeat. Constitutus anno 1542. Aquisgrani sui Ordinis Provincialis, saepius in colloquiis publicis cum Protestantibus, ut vocant, acerrime disputavit, in Synodo Tridentina saepe proposuit sententiam, et ob multifariam eruditionem et eloquentiam magnam sibi auctoritatem comparavit. Designatus fuerat Suffraganeus Coloniensis; verum brevi obiit 12.

Januarii anno nempe 1557., cui solemnissime parentavit alma Coloniensis Universitas die 15. Februarii. — Ejus gesta et laudes prosequuntur, qui de scriptoribus ecclesiasticis saeculi XVI. agunt, Gesnerus in Bibliotheca, Possevinus in Apparatu Sacr. et Harzheim in Bibliotheca Colon., qui scribunt, eum unum fuisse e collocutoribus ex parte Catholicorum in colloquio Ratisbonensi, et scripsisse librum, qui praenotatur *Judicii Universitatis et Cleri Coloniensis adversus calumnias Philippi Melanchtonis*, *Martini Buceri*, *Oldendorpii et eorum asseclarum defensio*, cum diligenti explicatione materiarum controversarum, quo in libro quendam apostatam e Coloniensi monasterio fugitivum Joannem, Bonnae, uxore ducta, caseos una cum pseudoverbo Dei vendentem, exagitat merito suo: non enim Bonnae solum virus improbum spargebat, sed improbis scriptis adversus Quirinum de Wilich, Episcopum Suffraganeum, litteras Kempenam dedit, quae apud R. D. Wilmium superstites, hominis insanam ostendunt apostasiam et petulantiam. Plura idem Billicus alia edidit, quorum in numero sunt MSS., quae nondum sunt edita et Coloniae asservantur. Operum praeclare ab eo confectorum non est illud postremum, quod grandem Carmelitarum ambitum historiis sacrae Scripturae a condito orbe ad extremum judicii diem exquisita arte pictis, et singula ternis distichis explicando subjectis vestivit. Ex quibus si primas litteras rubricis notatas collegeris, hanc sententiam effeceris: *Everhardus Billicus, Coloniensis Theologus, Provincialis Carmelitarum, Ambitum Tabulis istis ornari procuravit*, unde numerum tabularum scies. Epitaphium ejus ex Monasterio Carmelitarum hoc est:

*Eripitur mundo, juBar ordinis abditur istiC,*
*Vt requiscat humI, vis jubet aetheriA.*
*Eloquio blandus, ceLeri certamine dexteR,*
*RestinguensUbiis veL sica busta maluM.*
*Arduus ingenio donIs delubra polirE,*
*Restaurent passim Corruta, facta nihiL.*
*Denique virtutis stVdio sublatus, orirI*
*Ut superintendenS caeperat, eminuiT.*

*Sed fata impediunt moderantem magna sinistrA,*
*Cladibus exutus possidet Elysium.*

Ex eodem loco aliud incisum tumulo tale:

*Billicus in nostro vixit celeberrimus orbe,*
*Exsertus superos nunc tenet inde polos.*

Idem recitatur a Petro Opmero, anno 1625. recuso, sed mutato versu posteriore, pro quo habet, nescio. unde, laudem tamen:

*Scutica, ut haereseon exstitit, occubuit.*

## XXI. JOANNES CYRENENSIS.

Tristia et exitialia pro Ecclesia Coloniensi nunc incipiunt tempora, partim propter variam Archiepiscoporum sortem, partim propter grassantem haeresin et ex ea orta bella. Nam anno 1556. 20. Septembr. Brulae moritur Adolphus Archiepiscopus, qui, audita haereticorum ad Rhenum usque progressione, Tridentum reliquerat; huic statim germanus ejus frater Antonius Comes Schauenbergicus surrogatur, qui anno 1556. 18. Julii in arce Godesbergensi subita morte occumbit. Eodem anno in die S. Annae electus est Gebhardus Mansfeldius, qui Brulae in die animarum 1562. vita cessit. Post hunc Fridericus a Weda IV. electus est, qui abdicavit anno sexto, scilicet 1567., in cujus locum electus est Salentinus Comes Isenburgicus 23. Decembr., qui decem post annos, anno nempe 1577., etiam abdicavit, quem excepit pridie Divi Nicolai ejusdem anni Gebhardus Truchsesius, et post illum anno 1583., Kal. Aprilis, a Gregorio Papa rejectum, Ernestus Bavarus, quo sub annum 1612. 16. Febr. defuncto, Ferdinandus, Ernesti ex fratre nepos, in ejus locum ex Coadjutore Archiepiscopus et Elector est renuntiatus, cui aeternas debet Coloniensis Dioecesis gratias. Horum tempore sequentes Suffraganei floruerunt.

Joannes Pennarius Novesiensis, ex Ordine FF. Minorum, Doctor SS. Theologiae, circa ann. 1558. Suffraganeus Coloniensis et Episcopus Cyrenensis, de quo ejus temporis scriptor Cratepolius in Catalogo Episcoporum haec habet: „Antonius, Adolphi frater, in Suffraganeum D. Joannem Penarium Novesianum, de Ordine FF. Minorum Theologum, assumpsit.“ Dederat hic Jo-

annes bonis ac sacris litteris operam Bononiae, et ob excellentem in iis profectum declaratus est earum Professor et Ordinis sui Provincialis. Inde Bonnae egit concionatorem magno populi plausu, innotuitque Archiepiscopo Coloniensi, qui eum suum Vicarium constituit. Cum autem una cum aliis quibusdam viris doctis Legatus ad Ferdinandum Imperatorem a Coloniensi Capitulo missus esset Viennam Austriae, in reditu coepit adversa valetudine laborare, et advectus Moguntiam apud Carthusianos animam egit anno Domini 1563. 13. Septembr., aetatis 46., ibidem in Choro sepultus. Ejus epitaphio hoc adscriptum distichon:

Inclyta si multos pareret Germania tales,
Haeresis exiguo tempore pulsa foret.

In libro autem mortuorum apud Conventuales Coloniae haec leguntur. „Anno MDLXIII. XI. Septembr. prope Moguntiam in domo Carthusianorum obiit Reverendiss. P. ac D. Fr. Joannes Pennarius Novesianus, Suffraganeus Coloniensis, ac provinciae nostrae Coloniensis Minister Provincialis."

Post Joannem Pennarium designatus fuerat Suffraganeus Joannes Walschartz, Tungrensis, SS. Theologiae Doctor et Metropolitanae Ecclesiae Canonicus Coloniensis, verum vel opus, vel dignitatem non acceptavit, apud se crebro perpendens, quod B. Gregorius Papa de se sociisque Episcopis pronuntiavit: „Sollicite esse considerandum, ne nos, qui plus caeteris in hoc mundo accepisse cernimur, ab auctore mundi inde gravius judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum." — Eo itaque declinante, alius electus est, videlicet:

## XXII. THEOBALDUS CYRENENSIS.

Theobaldus Crasselius seu Craschel, Aquisgranensis, Episcopus Cyrenensis, de quo Cratepolius in Catalogo Episcoporum: „Anno 1574. in die natali Deiparae Virg. consecratus est, jam dudum in Suffraganeum Coloniensem designatus, debitis caeremoniis in summa Aede Reverendiss. Dominus Theobaldus, Aquensis, Theologiae Professor eximius, per D. Joannem, Monasteriensem Suffraganeum." Ipse anno 1583. die 19. Octobr. condidit testamentum, in quo

quatuor puellis ex sua familia, et in earum defectu ex civitate Aquisgranensi ad sustentationem legavit annuam pensionem 84. florenorum aureor., quam ipsi solvere debebat Civitas Aquisgranensis. — Annum mortis et diem discere licet ex ejus epitaphio, quod habetur Coloniae ad S. Severinum in navi Ecclesiae: „Anno MDLXXXVII. trigesima prima Julii obiit Reverendiss. in Christo Pater et Dominus Theobaldus Craschel, SS. Theologiae Doctor, Episcopus Cyrenensis, Reverendissimi Archiepiscopi Colon. Suffraganeus, Canonicus senior hujus Ecclesiae" [1]).

## XXIII. LAURENTIUS CYRENENSIS.

Laurentius Fabritius, Urdingensis, SS. Theologiae Doctor, Episcopus Cyrenensis, quondam Joannis Wilhelmi, administratoris Monasteriensis, Capellanus, quo tempore cum in eam urbem venisset Societas Jesu, et famoso libello traduceretur, scripsit germanice apologiam: „Gegenbericht und christliches Examen des Lästerbuchs Münsterschen Inquisition genant, welches anno 1583. den 23. December zu Münster, nächtlicher Weil in Haeuser, auch Fabritii selbsten Hoff geworffen vund aussgesprengt hat ein verfürischer Calvinist. Dedicata est apologia Joanni Wilhelmo, Administratori Episcopatus Monasteriensis ac Duci Cliviae, Juliae etc., anno 1584. 31. Julii, ac typis etiam Coloniae vulgata anno sequenti. Auctor vero boni operis in Pastorem S. Albani et Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis Canonicum presbyterum promotus, anno demum 1588. die 7. Augusti consecratus in Episcopum Cyrenensem a Coriolano, Episcopo Ausurensi, Nuntio Apostolico, ac Henrico, Suffraganeo Spirensi etc. Ejus operum non postremum est, quod scholam Urdingensem apud Castra Ordeoni fundarit, Professori necessaria impensa ministrata; ad plura praestanda tantum tempus eum defecit. Sepultus est ante Metropolitanae Aedis Coloniae Capellam, quae dicitur Walrami Archiepiscopi, epitaphio hoc inscripto:

---

1) Ipse quoque jussu Sixti Papae V. Serenissimo Duci Juliae et Montium Joanni Wilhelmo tradidit auream Rosam a Papa missam.

Laurentius Fabritius, Urdingensis, SS. Theologiae Doctor, Episcopus Cyrenensis, Suffraganeus Colon. et hujus Aedis Canonicus etc. Obiit 22. Julii MDC. R. I. P.

## XXIV. JOANNES CYRENENSIS.

Joannes Nopelius II., Lipstadiensis, SS. Theologiae Doctor, Canonicus presbyter Aedis Metropolitanae Coloniae et Pastor S. Columbae, in Laurentiano quondam Gymnasio Professor, anno 1602. die X. Martii per illustriss. Dominum Coriolanum, Episcopum Ausurensem, Nuntium Apostolicum, consecratus est Episcopus Cyrenensis. Scripsit, dum vixit, confessionem Ambrosianam. Cum die S. Joannis Evangelistae, post concionem in Parochia habitam, a sacro ex Metropolitana Aede domum contenderet, apud puteum infra turrim metropolitanam, ob viam glacie attrita lubricam prolapsus e gradu in sinistrum latus, dextrum pedem in coxendice fregit, et decima abhinc die, quo et natus fuerat, excessit e vita. Sepultus est in summa Aede ante Capellam Conradi Archiepiscopi prope SS. tres Reges, ubi hoc ejus legitur epitaphium:

„Reverendo in Christo Patri Domino Joanni Nopelio, SS. Theologiae Doctori, Episcopo Cyrenensi, Archiepiscopi Colon. Suffraganeo, hujus Aedis Canonico presbytero et S. Columbae Pastori, viro pietate, doctrina vitaeque integritate praestantissimo, amico ut fratri, Jacobus Hutterus titulum hunc et tumulum, eodem ipse condendus, merenti moerens P. Mortem obiit immortalitate dignus anno MDCV. 8. Idus Januar., vixit annos praecise LVII., diem ut non excederet.“

## XXV. THEODORUS CYRENENSIS.

Theodorus Riphan, Novesiensis, SS. Theologiae Doctor, illustris ad D. Gereonem ex nominatione gratiae Academiae Canonicus et S. Laurentii Pastor, vir sine fastu, antiquis moribus, senio et doctrina venerandus, Nopelio, cujus et amicus, et in promotione Academica sodalis fuerat, geminus, consecratus est in Aede Metropolitana per Reverendiss. D. Coriolanum Ausurensem, S. R. E. Nuntium cum potestate Legati a latere, Episcopus Cyrenensis,

Archiepiscopi Ferdinandi Colon. Suffraganeus, cujus loco anno 1612. Synodo Dioecesanae die secunda Octobr. habitae una cum R. D. Joanne Gerardo Comite in Manterscheit etc., Ecclesiarum Coloniensis et Argentinensis Ecclesiarum respective Decano et Canonico, tamquam Commissarius specialiter deputatus praesedit, salutaresque edidit sanctiones a Romana Sede confirmatas. Anno 1614., cum illustrissimus Princeps Wolfgangus Wilhelmus, Neoburg. Juliae et Montium Dux, abjurata haeresi, professionem fidei Catholicae maximo Ecclesiae gaudio et gratulatione Dusseldorpii fecerit, ipse Theodorus Suffraganeus summum sacrum habuit, juramentumque Ducis suscepit in festo SS. Trinitatis. Duobus post annis, cum in Capella S. Mariae, quae dicitur in Hierusalem, praesente amplissimo Senatu Coloniensi religiosissime sacris solemniter operatus, media in concione apoplectico morbo fuisset correptus ac domum relatus, paucis diebus vitam consummavit, pieque decessit anno 1616. die 14. Januarii, sepultus in Choro parochialis ad S. Laurentium Ecclesiae. Inter mortalia ejus opera non postremum, quod una cum P. Petro Michaelis, Soc. Jesu, et Rev. Wilhelmo Lindano, Ruremundensi Episcopo, multam operam posuerit in Stephano Isaaco, celebri Judaeo, convertendo. Vixit integerrime, cilicio asperrimo, quod quidam vidisse se meminerunt, usus, peculium tabulis testamenti sui mandavit converti in praestimonia studiosae juventutis et sacrum locum successori reliquit.

## XXVI. OTTO GEREON, EPISCOPUS CYRENENSIS.

Otto Gereon a Gutmannis de Soberheim, Confluentinus, Archiepiscopus (seu vere, seu Romani Notarii errore in litteris Apostolicis vocatus) Cyrenensis, SS. Theologiae Doctor, Serenissimi Principis Electoris Ferdinandi, Coloniensis Archiepiscopi, Consiliarius et Theologus, et in Spiritualibus Vicarius Generalis, Metropolit. Aedis Colon. Canonicus, anno 1616., die nona Octobr., per illustrissimum Dominum Antonium Albergatum, Vigiliarum Episcopum ac Sedis Apostolicae Nuntium, solemniter consecratus est in Choro Ecclesiae Metropolitanae Coloniae. Vir sane magnae experientiae, in Collegio germanico Romae a Gregorio XIII.

enutritus et theologicis ac sacrorum Canonum studiis singulariter instructus. Hic anno 1621. consecravit Essendiae Ecclesiam Patrum Capucinorum, de quo actu sequens dedit diploma: „Nos Otto Gereon, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Cyrenensis, Serenissimi et Reverendissimi in Christo Patris et Domini nostri Ferdinandi, Sanctae Ecclesiae Colon. Archiepiscopi et S. R. I. Principis Electoris, Bavariae Ducis etc. per civitatem et Dioecesin Coloniensem in Pontificalibus Vicarius et Theologus, ac ejusdem metropolitanae Ecclesiae Presbyter Canonicus et Capitularis. Notum facimus universis Christi fidelibus tenore praesentium, quod anno a nato Jesu Christo, Deo et Salvatore nostro, millesimo sexcentesimo vigesimo primo, die decima mensis Octobris, juxta Sanctae Rom. Apostolicae et universalis Ecclesiae ritum dedicavimus et consecravimus Ecclesiam et Sacellum Patrum Capucinorum S. Francisci Essendiae, in honorem illam S. Clarae Virg. et S. Augustini Episcop.; hoc beatissimae Virg. Mariae et S. Catharinae; et hoc Altare inibi summum in honorem eorundem Sanctorum Ecclesiae patronorum et S. Dionysii, et reliquias Sanctorum Martyrum Dionysii et undecim millium Virginum in eodem Altari inclusimus. Atque de omnipotentis Dei misericordia confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus, eodem quidem dedicationis et consecrationis hujusmodi die annum unum, et qualibet deinceps die anniversaria dedicationis et consecrationis eorundem, quam quotannis Dominica, quae festum SS. Dionysii et Caet. sequitur, celebrandam esse decernimus, illa devote visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma dictae Romanae Ecclesiae consueta misericorditer in Domino concessimus, auctoritate Apostolica nobis indulta. In cujus rei fidem hasce litteras Signeti nostri subimpressione fecimus communiri.“ L. S.[1]). Anno 1627. decima Octobr. consecravit primum Veteris Montis sive Aldenbergensem Abbatem mitratum Melchiorem a Mondorf ex Ordine Cisterciensi, in Ecclesia S. Joannis, assistentibus ei duobus ejusdem Ordinis Abbatibus, Laurentio de Beveren Veteris Campi et

1) Anno 1626. interfuit funeri Principis et Ducis Joannis Wilhelmi, Dusseldorpii defuncti.

Joanne Buschmann Heisterbacensi. Ab eodem consecratus est anno 1636. Joannes Wedig Ord. Cisterciensis, ex monasterio Heisterbacensi assumptus in Abbatem XXXVIII. monasterii Mariae-Stadensis in Dioecesi Coloniensi. Denique, postquam XXII. annis munus pontificale praeclare administravit, senio et morbo confectus, ex hac vita transiit anno 1636. die 25. Septembris sub horam secundam pomeridianam. Sepultus in Ecclesia PP. Carmelitarum discalceatorum Coloniae.

Nefas ageremus, si hoc loco praeteriremus viros hac aetate praeclarissimos, qui, haereticorum in Germania grassationibus et hostium incursionibus a suis Dioecesibus exclusi, belli Suecogermanici tempore acerbo, apud Coloniam exsilii diuturni molestias virtute superarunt; et suffraganeam interea tum supra memorati, tum sequentium Proepiscoporum tempore, invitante ac volente Serenissimo Archiepiscopo, et administratione Sacramenti Confirmationis, et ordinatione novorum presbyterorum et consecratione Ecclesiarum operam in Archidioecesi Colon. posuerunt, in quorum numero, ut merito, ita auctoritate, jure primus nominandus venit Reverendiss. atque illustriss. Princeps Franciscus Wilhelmus Osnabrugensis, Verdensis et Mindensis Episcopus, cujus egregias virtutes, praeclara gesta et multiplicia fata cum diligenti calamo descripserit Joannes Itelius Sandhoff parte secunda Antistitum Osnabrug. pag. 151. etc., nos ejus in Dioecesi peractas observabimus functiones, cum aliis Suffraganeis, scil. cum Reverendiss. Patre et Domino *Joanno Peckingio*, Cardicensi Episcopo, ac Serenissimi Archiepiscopi Ferdinandi per Paderbornensem ac Hildesiensem Dioeceses in Pontificalibus et Spiritualibus Vicario, SS. Theologiae ex Ordine FF. Minorum Conventualium Doctore; cum Reverendiss. Domino *Jodoco Wagenhauber*, Augustopolitano Episcopo, illustriss. Principis Francisci Hatzfeldii, Ducis Franciae Orientalis ac Bambergensis et Herbipolensis Episcopi, in Pontificalibus Generali Vicario, Collegiatae Ecclesiae Neumünster apud Herbipolenses Decano; — cum Reverendiss. Domino *Waltero Henrico a Streversdorf*, Ascalonensi Episcopo, eminentissimi Archiepiscopi Moguntini per Thuringiam Vicario in Pontificalibus, ex ordine S. Augustini, SS. Theolog. Doctore; —

cum *Caspäro Munstero*, SS. Theolog. Doctore ex Ordine Carmelitarum, Episcopo Aureliopolitano, supra laudati Osnabrugensis Suffraganeo, qui a tempore mortis altefati Coloniensis Suffraganei Ottonis Gereonis in Archidioecesi quasi stabilem egit Suffraganeum usque ad novi Suffraganei consecrationem [1]; — et cum *Joanne Sternenberg*, condicto Dusseldorf, Suffraganeo Monasteriensi, qui 2. Maji 1649. Capellam majorem in Kaevelar consecravit. — Igitur ut quosdam horum enumeremus sacros actus, anno 1637. laudatus Episcopus Cardicensis primum pro Novesiana FF. Minor. Ecclesia lapidem benedixit et posuit, cujus testimonium conservat lamina cum inscriptione sequenti: „Anno Domini 1637. VII. Augusti, SS. Domini nostri Papae Urbani VIII. anno XV., invictiss. Imperat. Ferdinandi III. anno I., Sereniss. et Reverendissimi Archiepiscopi et Electoris Colon. Ferdinandi, Bavariae Ducis, anno XXVI.... Reverendissimus in Christo Pater ac Dom. Fr. Joannes Peckingius, ex Ord. FF. Minorum Conventualium, Episcopus Cardicensis, Suffraganeus Paderbornensis, ex mandato speciali altae memoriae Electoris Colon., ad corporaliter praesentis fundatoris, praesentibus etiam Serenissimis Principibus Francisco Wilhelmo, Episcopo Osnabrugensi etc., et Philippo Wilhelmo, Comite Palatino Neoburgico etc., et Maximiliano Henrico, Coadjutore Hildesheimensi, Metropolitanae Coloniensis Canonico, hunc primarium lapidem in honorem immaculate conceptae Sanctissimae Virginis Mariae posuit.“ Ecclesiam autem absolutam anno 1640. mense Septembri consecravit Reverendiss. Caspar Munster, Episcopus Aureliopolitanus. Idem eodem anno et mense Kempenae in praesentia Serenissimi Archiepiscopi Ferdinandi, Reverendissimi Episcopi Osnabrugensis Francisci Wilhelmi, et Maximiliani Henrici Coadjutoris consecravit Ecclesiam, de quo actu habemus authenticum ipsius Episcopi Aureliopolitani manu subscriptum documentum, quod haec habet: „Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, die festo Decollationis S. Joannis, Kempenae, Dioecesis Colon. oppido, in Ecclesia PP. S. Francisci strict. observantiae confirmavit Reverendiss. Dominus plus quam duo

1) Vid. *Harzheim* Biblioth. Coloniens. pag. 51.

millia fidelium. Die secunda Septembr., quae erat Dominica, Novesii consecravit, et Deo et S. Francisco dedicavit Ecclesiam FF. Minor. cum tribus Altaribus. Quo eodem die ab hora secunda pomeridiana usque ad decimam noctis in hoc novo consecrato templo confirmavit plus quam duo millia et sexcentos Christi fideles, religiosis ejusdem Conventus ita numerantibus. Ita esse fatetur propriae manus Reverendiss. Domini subscriptio: *Gaspar Episcopus, qui supra.* Ipse vero Reverendiss. Osnabrugensis Episcopus Franciscus Wilhelmus Coloniae IV. Kalend. April. 1640., praesente Archiepiscopo Ferdinando, et sibi assistente Casparo, Episcopo Aureliopolitano, consecravit Sacellum B. Mariae de Portiuncula, in templo PP. Observantium ab illustriss. Herbipolensium Episcopo excitatum, et anno 1643. 25. Octobr. Bonnae consecravit Altare. Caetera praetermittimus.

## XXVII. GEORGIUS PAULI, EPISCOPUS JOPPENSIS.

Georgius Pauli Stravius, metropolitanae et SS. undecies mille Virginum Ecclesiarum Colon. Canonicus presbyter, ab illustriss. et Reverendiss. supra laudato Osnabrugensi Principe Episcopo Francisco Wilhelmo anno 1641. die decima septima Februar. in praesulem Joppensis Ecclesiae consecratus est Bonnae, ubi pro vetere Ubiorum ara profana Ecclesia Archidiaconalis Collegiata SS. Thebaeorum Martyrum Cassii, Florentii, Mallusii et Sociorum honori dicata est. Fuit hic ea solemnitas celeberrima coram Reverendissimis et Serenissimis Principibus Bavaris etc. Ferdinando, Archiepiscopo Electore, atque Maximiliano Henrico (hujus ex Duce Alberto nepote), Coadjutore Principe Hildesheimensi et Berchtesgadensi etc., adsistentibus Reverendiss. et ampliss. Viris et Dominis, Henrico Waltero, Episcopo Ascalonensi, et Henrico Liblar, S. Martini majoris Coloniae Abbate. Ipse autem Joppensis non solum Ferdinandi ejusque Successoris Maximiliani Henrici Archiepiscoporum in Pontificalibus erat Suffraganeus, sed etiam in Spiritualibus Vicarius Generalis, et in ea duplici dignitate plurimas per viginti annos saluberrimasque jussu et nomine Archiepiscopi edidit constitutiones, quas inter principem merito sibi locum vindicant Constitutiones de Commissario et Visitatore

episcopali, et de triplici Vicario Generali, quod posterius opusculum anno 1781. ob raritatem et utilitatem suam Coloniae recusum est. Prae omnibus tamen memorandum putamus, quod, ipso inprimis urgente, anno 1647. illud Concilii Tridentini decretum de clandestinis matrimoniis per Ducatum Juliacensem et Montensem sit promulgatum, et quidem hisce verbis: „Ferdinandus, Dei et Apostolicae Sedis gratia electus et confirmatus S. Colon. Ecclesiae Archiepiscopus etc. etc. Cum sancta mater Ecclesia justissimis ex causis semper detestata sit clandestina matrimonia, vetueritque propter incommoda gravissima, quae solent ex iis emanare, mandavimus in tribus Synodis nostris Dioecesanis, tam anno 1598., quam ann. 1612. et ann. 1627. celebratis, ut decretum Concilii Tridentini de reformatione matrimonii in omnibus Ecclesiis nostrae jurisdictioni temporali et spirituali subjectis promulgaretur. Ac licet in Ducatibus, Comitatibus et territoriis temporali nostrae dominationi subditis, et, quae sub his sunt, parochialibus Ecclesiis fere singulis legitime sit publicatum: comperimus tamen ejusdem promulgationem non esse undequaque subsecutam, praesertim in Ecclesiis, Ducatibus, Comitatibus, territoriis et dominiis in Dioecesi quidem nostra exsistentibus, sed altae saeculari nostrae jurisdictioni non subjectis, ob Decanorum ruralium et parochorum negligentiam. Unde cum hactenus abusus, scandala et perturbationes maximae durent in Dioecesi nostra, dum quidam malitiose conferunt se ad vicina loca, in quibus nondum est praefatum decretum publicatum, ibique clandestina celebrant matrimonia contra sacrorum Canonum inhibitionem; ut tantis malis occurramus, de venerabilis Capituli nostri Metropolitani consilio pariter et assensu, iterum mandamus et serio praecipimus Archidiaconis, Decanis ruralibus, Pastoribus et Vicecuratis omnibus et singulis tam sub temporali nostra jurisdictione, quam extra eam in nostra Dioecesi constitutis, ut, in quocumque loco dictum Tridentini Concilii decretum de reformatione matrimonii non est pro suggestu publicatum, idipsum promulgent et explicent intra unius mensis spatium, incepturi a die habitae praesentium notitiae: idemque in loco patente, ut ab omnibus legi possit, per mensem affixum servent: ac deinde saepius hanc publicationem et expli-

cationem repetant, tam intra dictum mensem, quam per annum aliquoties, ne simpliciores e populo praetendere possint ignorantiam. Iidem etiam, post elapsum totum mensem a die publicationis hujus mandati, litteras testimoniales de facta hac promulgatione conficere Nobisque consignare teneantur, cum subscriptione parochi vel vicecurati et aedilium cujuscumque parochiae. Eandem quoque repetitionem aliis in locis, in quibus hactenus decreti illius promulgatio effectui data fuit, injungimus. Requirimus etiam dilectissimum Cognatum et Affinem nostrum, Serenissimum Dominum Wolfgangum Wilhelmum, Comitem Palatinum Rheni, Bavariae, Juliae, Cliviae et Montium Ducem etc., ut pro insigni suo zelo in Monasteriis, Collegiis, Scholis, et Missionibus fructuosissimis passim per Ducatus suos institutis et ulterius instituendis, ad fidei et pietatis incrementum morumque reformationem, etiam in hoc tam necessario negotio, ad occurrendum gravissimis animarum periculis, Nobis assistat, et Toparchis, Satrapis, Praefectis, Praetoribus aliisque suis officiatis quibuscumque gratiosissime praecipiat, ut quovis loco sui districtus unusquisque eorum strenuam curam et vigilantiam adhibeat ad decretum hoc juxta Tridentini Concilii mentem in quibuscumque parochiis praefatorum Suae Dilectionis ducatuum Juliae et Montium legitime publicandum, et ejus factae promulgationis authenticum testimonium a parocho loci et aedilibus subscriptum, tam Nobis, quam Suae Dilectioni consignandum, ne deinceps ullius torpore, negligentia vel incuria tam pium negotium retardetur. In hunc usum saepius dicti decreti Tridentini verba latina et translata in idioma nostrum his duximus adjungenda." Post decretum sequitur: „Datae in civitate nostra Bonnae die quinta Novembr. anno 1647. *Ferdinandus. V. Georgius Paulus Stravius, Episcopus Joppensis, Suffraganeus Coloniensis et Vicarius Generalis.*

Stravius etiam inter patres conscriptos recensetur, qui anno 1652. Coloniae testes fuerunt Ernesti, Hassiae Darmstadiensis Principis, cum sua conjuge Eleonora Maria Solmensi conversionis ad fidem catholicam, quam praeprimis promoverunt celeberrimi et eruditissimi fratres Adrianus et Petrus de Walenburg, qui eodem anno typis ediderunt Coloniensibus: *Conversionis ad*

*fidem catholicam motiva Serenissimi et Celsissimi Principis et Domini D. Ernesti, Hassiae Landgravii etc.* — E vivis sublatus dicitur aqua intercute anno 1660.

## XXVIII. ADRIANUS ADRIANOPOLITANUS.

Adrianus de Walenburg, Roterodamensis, celeberrimus Theologus, et in utroque jure Doctor, dein metropolitanae Ecclesiae Colon. Canonicus presbyter et Capitularis, una cum fratre suo juniore Petro, Episcopo Mysiensi, perpetua certamina contra sagacissimos sui aevi heterodoxos certavit, anno tandem 1661. die S. Andreae sacra in Ecclesia Bonnensi FF. Minor. Conventualium a Serenissimo Archiepiscopo Maximiliano Henrico consecratur Episcopus Adrianopolitanus (in Bithynia vel in Thracia), assistentibus Petro de Walenburg, fratre, Suffraganeo Moguntino, et Joanne Antonio Blavier, SS. Theologiae doctore, ex Minorum Conventualium coetu assumpto Episcopo Dionysiensi, Suffraganeo Leodiensi, a quo die in pontificalibus muniis Vicariam operam navavit Archidioecesi Coloniensi. Altero post consecrationem anno coëgit Archiepiscopus Maximilianus Henricus Coloniae Synodum dioecesanam, omnium quidem ultimam, in qua de omni jure ecclesiastico, de recta Sacramentorum administratione et de officio parochiali praeclarissima condita sunt Statuta Synodalia, in hanc usque diem ut norma et regula omnibus praescripta. Partem, et non minimam, in hoc gravi negotio habuisse Adrianum, licet ex actis Synodi concludere, in quibus constituitur Judex et examinator Synodalis et Officialis Archiepiscopalis [1]). Anno 1665. die Annuntiationis B. Mariae Virginis, Philippum Brewer, electum Abbatem Brauweilerensem, donat infula et pedo. Cum anno 1669. omnium operum suorum novam editionem cum fratre Petro absolverat et Archiepiscopis Moguntino et Coloniensi obtulerat, supremum quoque vitae suae opus morte absolvit Moguntiae 14. Septembr. anni ejusdem 1669.

## XXIX. PAULUS ARMIRIENSIS.

Adriano successit Paulus Aussemius, Coloniensis, Archiepiscopi Maximiliani Henrici ab anno 1662. in Spiritualibus, deinde

1) *Hartzheim* Concil. German. Tom. IX. pag. 917—919.

et in Pontificalibus Vicarius Generalis, Episcopus Armiriensis, Ecclesiae Metropolitanae Canonicus, S. Cuniberti Decanus, Consilii ecclesiastici Praeses et Universitatis Colon. quondam Rector. Obiit 24. Novembr. 1679., aetat. 63.

## XXX. JOANNES HENRICUS HIERAPOLITANUS.

Joannes Henricus d'Anethan, Metropolitanae Ecclesiae et illustris Collegiatae S. Gereonis Canonicus respective Scholasticus, ab anno 1680. 20. Septembr., quo Coloniae primo Ordines SS. contulit, Suffraganeus Coloniensis, consecratus Episcopus Ecclesiae Hierapolitanae sub Metropoli Seleucia, in Provincia Isauriae. Varios sui Suffraganeatus tempore benedixit aut consecravit Abbates, inter quos est Abbas Gladbacensis, Ambrosius Steingens, quem anno 1681. 18. Martii, Dominica Laetare, assistentibus sibi Reverendis Abbatibus Brauweilerensi et S. Martini, in Ecclesia Gladbacensi solemni benedictione consecravit. Anno 1686. 2. Aprilis sacravit Altare primarium in Sacello Lauretano in Bilck in honorem B. Mariae Virginis et SS. Dioscori et Celsi, instituitque anno 1692. novam parochiam in Derendorf prope Dusseldorf, cujus erectionis instrumentum ad perpetuam memoriam ex originali documento describere non gravamur.

„Joannes Henricus de Anethan, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Hierapolitanus, Serenissimi et Reverend. Archiepiscopi ac Principis Electoris Coloniensis Josephi Clementis, utriusque Bavariae Ducis, Suffraganeus, Coadministrator in Spiritualibus et ab ea dependentibus ab eadem sancta Sede deputatus, necnon Vicarius Generalis et Metropolitanae Electoralis, nec non illustris Collegiatae D. Gereonis Ecclesiarum Coloniensium respective Scholasticus et Canonicus Capitularis etc. Universis et singulis salutem in Domino sempiternam! Generalis in Spiritualibus et ab iis dependentibus Coadministrationis et Vicariatus a Sancta Sede Apostolica respective, et Serenissima Sua Celsitudine alte memorata per civitatem et Archidioecesin Coloniensem nobis clementissime concrediti Officii ratio comprimis postulat, ut ea Christi fidelium vota congruis favoribus prosequamur et in Domino confoveamus, quae ad divini cultus ac publicae pietatis incrementum,

animarum salutem ac spirituale solatium tendere dignoscuntur, provideque ac salubriter in iis disponamus, prout necessitas postulat, et, locorum ac temporum circumstantiis mature consideratis, expedire visum fuerit. Nuper siquidem pro parte plurimorum incolarum pagi Derendorf aliorumque de Parochia Dusseldorpiensi ante civitatem degentium humiliter expositum fuit, quod etsi ab immemoriali tempore usque huc frequentaverint parochialem Ecclesiam civitatis Dusseldorpiensis, jusque habuerint et adhuc habeant in eadem divina officia audiendi et ab illius Rectore omnia Sacramenta petendi et suscipiendi, non ita pridem tamen considerantes suam a dicta parochiali Dusseldorpiensi ad horam et ultra distantiam et Parochiae amplitudinem, exindeque et ob clausas subinde civitatis portas, vel ingruente nonnumquam subita necessitate vel aegritudine, diversos sine Sacramentis ex hac vita decessisse, aliaque gravia animarum pericula intercurrere, ex diversis collectis in dicto pago Derendorf fundamenta novae Ecclesiae nuper posuerint; Reverendi vero nobis devote dilecti Joannes Bartoldus Weyer et Henricus Arnoldus Sommer, S. Collegiatae Ecclesiae B. M. V. Dusseldorpiensis respective Scholasticus, Thesaurarius et Canonici Capitulares, ad laudem, gloriam et honorem Sanctae et individuae Trinitatis, nec non cultum et reverentiam B. M. V. et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Barbarae Martyris et Virginis, et Sancti Xaverii, agonizantium Patronorum, suorumque et parentum suorum et consanguineorum, amicorum et benefactorum, omniumque Christi fidelium salutem terrena in coelestia, et transitoria in aeterna felici commercio commutare volentes, eandem Ecclesiam tam ex propriis, quam diversis parochianorum externorum collectis et benefactorum mediis perficiendam susceperint, atque beneficium perpetuum cum cura animarum parochianorum Dusseldorpiensium in antedictis pagis et alibi extra moenia civitatis degentium, nec non onera trium Missarum qualibet hebdomada in antedicta nova Ecclesia perpetuo celebrandarum fundaverint, atque in dotem seu pro dote illius seu ejus Rectoris, praeter nonnulla alia aliunde accedentia emolumenta, sortes capitales mille sexcentorum imperialium, seu exinde resultantes annuos 60. imperialium reditus ac proventus

animo deliberato ac donatione absoluta et inter vivos assignaverint, contulerint, dederint ac donaverint, seu jus omne et actionem, sibi in illis et ad illos competens, ad usum et utilitatem novi beneficii curati, seu ejus Rectoris, omni meliore modo cesserint et transtulerint, ea inter alia expressa sub cautela, reservatione ac petitione, quatenus jus praesentandi personam de familia antefati D. Henrici Arnoldi, si idonea exstiterit sibi, quoad vixerit, ac deinde ejus proximioribus consanguineis usque ad tertiam generationem, deinde vero Decano, Scholastico et P. T. Seniori anted. Collegiatae, admittendi vero, seu instituendi (praevia pro regenda cura animarum Archiepiscopali auctoritate) P. T. exsistenti Decano Dusseldorpiensi concedi debeat, obtento etiam ad praemissa moderni D. Decani, uti pastoris Dusseldorpiensis, pro se et successoribus suis (salva Serenissimi Principis Electoris Palatini, uti Decanatus et Parochiae Dusseldorpiensis Patroni, ratificatione) expresso consensu et renuntiatione super juribus sibi in antedictis pagis seu Parochia externa ab antiquo debitis, prout in litteris desuper expeditis, et his nostris originaliter transfixis plenius continetur, juncta devota petitione, quatenus in praemissis, aliisque infra memoratis auctoritatis nostrae placitum interponere dignaremur:

Hinc nos, ut laudabilis antedictorum incolarum et comprimis memoratorum Fundatorum zelus et istiusmodi pia fundatio ac dotatio legitimae auctoritatis praesidio perpetuo stabiliatur, et praetactis incommodis et periculis occurratur, supplicationibus desuper nobis porrectis favorabiliter inclinati, dictam fundationem et dotationem hujusmodi beneficii curati in Derendorf una cum memoratis et in transfixis litteris latius expressis cautelis et reservationibus auctoritate Archiepiscopali, qua hac in parte fungimur ordinaria, admisimus et approbavimus, et beneficium curatum ad honorem et gloriam Sanctissimae Trinitatis, et invocationem B. V. Mariae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac B. Barbarae Virg. et Martyris et Xaverii ereximus, creavimus et instituimus, eidemque pro dote et in dotem praetactos reditus et jura jam collata et deinceps pia Christi fidelium largitate amplius conferenda perpetuo assignavimus et adscripsimus, nec non jus praesentandi personam ad illud regendum antefatis Dominis Fundatoribus et eorum

consanguineis, admittendi vero et instituendi, examine et approbatione Archiepiscopali praevia, Decano pro tempore Collegiatae Dusseldorpiensis praetactis et in transfixis litteris latius expressis modo et forma concessimus et reservavimus, et in vim sancti et oecumenici Concilii Tridentini antedictos incolas ab ulteriori frequentatione parochialis Ecclesiae Dusseldorpiensis liberavimus, et prorsus liberos decrevimus et declaravimus, nec non iisdem permisimus et mandavimus, ut dictam novam Ecclesiam tamquam propriam habere et retinere, atque ex nunc in antea perpetuis, futuris temporibus (dummodo eam citra praejudicium Collegiatae Ecclesiae Dusseldorpiensis sartam, tectam conservent, et ad divinum officium necessaria congrue procurent) frequentare, et in ea, quamprimum (quod propediem futurum in Domino confidimus) perfecta fuerit, loco honesto ac tuto baptisterium ex lapide vivo, solido et mundo, quod aquam baptismalem bene contineat eamque nitidam et puram conservet, construere loco prope dictum pagum Derendorf, vulgo *auf dem neuen Kirchhof*, donec ipsis de alio prope Ecclesiam magis congruo provideri potuerit, habere, usque et campanis et campanili, aliisque juribus ac insignibus parochiali Ecclesiae concedi solitis, uti et peculiari Rectore seu curatore animarum praemisso modo sibi deputando et constituendo, a quo omnia et singula Sacramenta suscipere possint, gaudere possint ac valeant: quemadmodum respective admittimus et approbamus, erigimus, creamus, et instituimus, assignamus, adscribimus, reservamus, liberamus, decernimus, permittimus, ordinamus, statuimus in Dei nomine per praesentes, ulteriore in praemissis aliisque ordinatione et declaratione nostra salva. In fidem datum Coloniae 31. Martii 1692." Anno sequenti fatis cessit, cui erectum est sequens epitaphium in Ecclesia S. Gereonis, ubi corpus ejus est sepultum:

Sta Viator!
Et lacrymis publicis adde tuas;
Utrasque meretur jactura publica.
Hic jacet, qui semper stetit

JOANNES HENRICUS d' ANETHAN,
Dominus in Densborn.
Fuit, dum viveret,
Episcopus Hierapolitanus,
Vicarius Generalis et Suffraganeus
Hildesii, Treviris et Coloniae,
Principis Electoris Coloniensis
In Spiritualibus Coadministrator et
Consiliarius intimus,
Metropolitanae Ecclesiae
et
Illustris Collegiatae Sancti Gereonis
respective Scholasticus,
Decanus Hildesii et Wimpfenae;
Praepositus Goslariae etc.
Perfunctus magnis honoribus
superavit, quos gessit;
Meruit etiam, quos non gessit;
quos obivit, non ambivit;
Tota vita ejus fuit beneficentia;
nam Episcopus XXVII. annis
pertransivit benefaciendo.
Mortuus est die XVIII. Junii
Anno Christi
MDCLXXXXIII.,
aetatis LXV.
Vivit adhuc fama ejus post Fata,
Virtus post Funera,
Post obitum gloria,
Post abitum memoria.
Pars melior, anima, Coelo assueta,
quo ire consueverat,
ivit.
Abi Viator, et disce
sic mori tempore,
Ut vivas aeternitati!

## XXXI. JOANNES PETRUS HERMOPOLENSIS.

Joannes Petrus de Burmann in Suffraganeatu successit anno 1695., consecratus Episcopus Hermopolensis, clarae olim Thebaidis Ecclesiae. Erat is Consilii ecclesiastici Praeses et Canonicus cathedralis Ecclesiae Leodiensis, qui vix uno anno muniis episcopalibus functus est. Habuit enim 25. Februarii 1695. Coloniae primam Ordinationem, et ultimam 17. Decemb. ejusdem anni. Obiit Leodii prima Februarii 1696. Anno enim praecedente Serenissimus Elector Archiepiscopus Coloniensis, Josephus Clemens, in Principem Episcopum Leodiensem electus et confirmatus fuerat, quocum probabiliter Leodium profectus est. Brevissimi Suffraganeatus actus, quos referamus, praeter supradictas Ordinationes nullos habemus.

Non confundendus est noster Joannes Petrus cum altero ejusdem aetatis Joanne Petro, Suffraganeo Trevirensi, Episcopo Arbensi, cui etiam sequens adscribenda est Epistola circularis: „Joannes Petrus etc. Omnibus et singulis Decanis ruralibus et animarum curatoribus salutem in Domino sempiternam. Munus pastorale nobis concreditum id vel maxime exigit, ut oves nobis commissas in via recta ac salutari ducamus et deflectentes ab hac mature revocare studeamus. Cum igitur ut dolenter percepimus, plures de Christi fidelibus lucro temporali potius, quam aeterno inhiantes, famulatum apud Acatholicos susceperint et indies suscipiant, ac sic, ut una cum moribus doctrinam animae suae periculosam imbibant, merito sit pertimescendum; hinc nos huic malo mature occurrere volentes, vobis omnibus et singulis supradictis serio demandamus, quatenus omnes et singulos vestros parochianos cujuscunque status et conditionis, in servitio et famulatu Acatholicorum subsistentes quam primum revocetis, eisque sub poena interdicti ecclesiastici et praeterea solvendae in usum pauperum viginti florenorum auri, ut a via hac animae perniciosissima deflectant, intimetis et indicatis, nec non parentibus et curatoribus in hujusmodi servitio existentium insinuetis, ut sibi commissos indilate revocent, idque sub eadem poena. Huic vero nostro tam salutari mandato revocatorio sese opponentes, aut debitam obedientiam post trinam monitionem non

exhibentes in poenam dictam incidisse pro nunc sicut et tunc declaramus, ac pro brachio saeculari eatenus implorando vobis commissionem impertimur. Treviris die 10. Martii anni 1704. Joann. Petrus Episc. Arbensis, Suffraganeus Trevirensis."

## XXXII. GODEFRIDUS UDALRICUS NICOPOLIENSIS.

Qui Burmannum in Praesidentia consilii ecclesiastici est secutus, successit ei quoque in Suffraganeatu Coloniensi Godefridus Udalricus, Baro de la Margelle et Eysden, Canonicus collateralis Leodiensis, perpetuus B. Mariae Virg. Trajecti Praepositus infulatus, anno 1697. consecratus Episcopus Nicopoliensis; cujus autem Nicopoleos, cum in notitia ecclesiastica octo, immo novem hujus nominis occurrant Sedes episcopales, decidere erit difficile. Contulit Ordines a prima Martii 1697. usque ad 28. Januar. 1703. — Primo sui Suffraganeatus anno die 25. Junii posuit primum lapidem Sacelli aulici Bonnensis, praesente et adjuvante Archiepiscopo, anno autem 1700. pro nova FF. Minorum Ecclesia Bonnensi primum lapidem benedixit, de quo actu haec referunt MSS. Annales: „Serenissimus Princeps et Elector Josephus Clemens ex aula adornavit processionem confratrum Michaeliticorum versus rudera Ecclesiae nostrae (per ignem) devastatae, cum tribus primis lapidibus in fundamento ponendis, quorum primus pro novo aedificio ponebatur a Serenissimo in honorem magnae Dei Matris ac Virginis Mariae, sine labe conceptae; secundum ponebat in honorem seraphici Patris nostri Francisci ejusque filii prodigiosi S. Antonii Paduani, ac admirabilis poenitentiae viri S. Petri de Alcantara, Ven. admodum Pater Guardianus Wilhelmus Heiden; tertium in honorem invictissimi Angelorum Principis, nomine Reverendissimi et Celsissimi Principis Archiepiscopi Trevirensis S. R. I. Electoralis Michaeliticae confraternitatis Praefecti, Reverendiss. et Excellentissimus Dnus Hugo, Comes de Königsegg, illustrissimi Capituli Coloniensis Canonicus Capitularis, praesente et assistente Magistratu Michaelitico; quos lapides una cum fundamento Reverendissimus et illustriss. Dnus Liber Baro de Lamarselle, Serenissimi Principis

et Electoris Colon. Suffraganeus et Vicarius in Pontificalibus Generalis, benedixit."

## XXXIII. JOANNES WERNERUS, ELEUTHEROPOLITANUS.

Qui hucusque sub Josepho Clemente Archiepiscopo erat in Spiritualibus Vicarius Generalis et Coadministrator Apostolicus, consiliique ecclesiastici Praeses, Reverendiss. Dominus Joannes Wernerus de Veyder, Canonicus metropol. Ecclesiae, anno 1704. Dominica *Laetare*, quae erat secunda Martii in templo Patr. Societatis Jesu, assistentibus Reverendiss. Praelatis ad S. Pantaleonem et S. Martinum, Coloniae consecratus est a Dno. Reverendiss. Julio Piazza, Archiepisc. Rhodiensi, Nuntio Apostolico, Episcopus Eleutheropolitanus, alias in Hebron, in Palaestina prima, indeque Suffraganeus et Vicarius in Pontificalibus Generalis, qui trigesima Maji ejusdem anni solemniter benedixit Abbatem Gladbacensem, Rev. Petrum Knor. Hujus sub praesidio recognita est jussu Serenissimi Archiepiscopi Josephi Clementis, et emendatius divulgata anno 1720. *Agenda S. Coloniensis Ecclesiae*, uti constat ex ejus ad decanum Christianitatis Dusseldorpiensis epistola data 26. Martii 1716. cujus Originale nuper ad manus venit, in qua et sermo de Catechismo Tridentino: „Praemissis non possum non subjungere, qualiter hisce diebus inciderim in Catechismum Romanum, ab aliis dictum: *Catechismum Concilii Tridentini Pii V. PP. jussu editum*, recusum in 12mo, quem in pluribus provincialibus Synodis ab Ecclesiae Praesulibus, pastoribus suis singulariter commendatum invenio, tum ut convenientes ad se invicem parochi viciniae cujuslibet (quas conventiones menstruas juxta nuperum Sereniss. Electoris et Archiepiscopi decretum institutas cum earundem institutarum ratione et modo proxime intelligere desidero, ne opus sit, ad arctiora procedere), tum ut singulis diebus festis aliquid ex hoc Catechismo populo proponant de iis rebus, quas nosse omnium christianorum interest. Quicunque enim eundem currente oculo perlustrabit, inveniet, parochis pro parochianis sibi commissis de rebus fidei, morum, receptione Sacramentorum modoque orandi instruendis

concionibusque eo cum fructu dirigendis accommodatissimum, et hinc qua talem omnium pastorum manibus terendum et commendandum judicavi, non dubitans, plures ex ejusdem assidua lectione magnum fructum reportaturos mihique haud parvam gratiam commendationis istius habituros[1]). Dein praeterire nequeo, in nupera

---

1) Hoc nostro tempore, quo insatiabilis viget, novos omni anno edendi Catechismos, non semper ab erroribus liberos, cupido, in memoriam revocanda sunt aurea Clementis XIII. PP. verba, quibus Catechismum Tridentin. specialiter commendat et praescribit: „Verum hunc librum non mediocri labore et studio compositum omnium consensione probatum et summis laudibus exceptum his temporibus e pastorum manibus propemodum novitatis amor excussit, cum alios atque alios Catechismos extulerit nullo modo cum *Romano* comparandos: unde duo mala extiterunt: alterum quod illa fuerit in eadem docendi ratione prope sublata consensio; oblatumque pusillis quoddam scandali genus, quibus sibi ipsi jam non amplius esse videantur *in terra labii unius et sermonum eorundem.* Alterum, quod ex diversis variisque tradendae Catholicae veritatis rationibus ortae sunt contentiones, et ex aemulatione, dum alius se Apollo, alius Cephae, alius Pauli se dictitat sectatorem, disjunctiones animorum et magna dissidia: quarum dissensionum acerbitate nihil ad Dei gloriam minuendam exitialius putamus, nihil ad extinguendos fructus, quos e christiana disciplina aequum est Fideles percipere, calamitiosius. Itaque duplex hoc malum ut ab Ecclesia tandem amoliretur, illuc duximus redeundum, unde quidam parum prudenti consilio, nonnulli etiam superbia ducti, ut sese in Ecclesia jactitent sapientiores, jam dudum fidelem populum avocaverant; et eundem Catechismum Romanum pastoribus animarum iterum porrigendum existimavimus; ut qua ratione confirmata olim fuit Catholica fides, et in doctrina Ecclesiae, quae est Columna veritatis, fidelium mentes corroboratae, eadem nunc a novis quoque opinionibus, quibus nec consensio, nec antiquitas suffragatur, quam longissime avertantur." Admonet tum summus Pontifex Archiepiscopos et Episcopos, ut Catechismum, tanquam subsidium ad pravarum opinionum fraudes removendas et veram sanamque doctrinam propagandam stabiliendamque commendent et praescribant. Tom. II. Bullarii Rom. continuat. pag. 134. N. CCXXIX. Dat. 14. Junii 1761.

visitatione a memetipso peracta aliquibus in locis deprehensum fuisse, pastores exiguam habere curam Decretorum Synodi 1662. in hac Archidioecesi habitae, et si qua in re contra eadem impingere notantur, eorum carentiae praetextu sese excusare nituntur. Cum autem indignum sit, proprii Episcopatus leges ignorare, admonentur omnes, ut de dictis decretis sibi comparandis (quae utilissima continent et ipsos parochos circa exercitium officii sui non vulgariter instruunt) solliciti sint, et eorum excusationem, si contra illa decreta impingere contigerit, deinceps non admittendam sciant. — Denique exim. dominationem vestram latere non volui, novam *Agendam* pro hac Archidioecesi imprimendam. Si in antiqua hinc inde quaedam ex praxi notaverit, quae pro parochorum instructione et muneris pastoralis exercitio addi, demi vel alias corrigi debere censeat, id mihi proxime suggerat, ut aliquot Theologorum practicorum judicio examinari, et prout hi judicaverint, novae editioni inseri valeat.

Exaratis his litteris accipio Bonna edictum, quod in causa Synodalium constituendorum, nec non ad abrogandas nocturnas divagationes aliasque noxias insolentias Sereniss. Elector, Dnus noster publicari jussit. Si in districtu Christianitatis vestrae territorii Montensis seu Juliacensis similes excessus vigeant aut Synodales desint, rescribatur mihi, ut possit desuper scribi Dusseldorpium."

Haec Agenda post centum et viginti annos novam utique recognitionem nostris temporibus exspectat. In subsidium edita quidem sunt paucis abhinc annis compendia quaedam, in quibus devia quaedam observari licet. Nescio enim, qua auctoritate in quibusdam ejusmodi libris pastoralibus sive Compendiis tres tantum in solemni nuptiarum benedictione adducantur, cum in altefata Agenda novem praescribantur. Caetera taceamus. Desiit vivere Joann. Wernerus 30. Octobris 1723. Exstat epitaphium ejus in Ecclesia Metropolitana hujus tenoris:

Hic jacet Joannes Wernerus de Veyder, Episcopus Eleutheropolitanus, Ecclesiae Coloniensis Suffraganeus et Canonicus Capitularis, Praepositus Meschede, Dominus in Mahlberg et Bettenfelt, Dominus Immediatus in Hövelsheins.

VIATOR CHRISTIANE,

Ora pro defuncto peccatore misericordiam Dei, ut et illa tibi fiat in die magna et in via non deficias. Obiit anno Domini 1723., die vero 30. Octobr.

Requiescat in pace,

Amen!

aetatis anno 66.

## XXXIV. FRANCISCUS CASPAR RHODIOPOLITANUS.

Natus erat Coloniae 22. Novembr. 1683. Franciscus Caspar de Francken-Siersdorf, cujus ex familia viri illustres et religiosi a plus quam centum annis in officiis, tam temporalibus, quam spiritualibus Archiepiscoporum Coloniensium inveniuntur fideles; erat enim modo 1669. Joannes de Francken-Siersdorf Vicarius in Spiritualibus Generalis. Caeteros sequens assignat epitaphium:

D. O. M.

Memoriae

Ferd. Eugen. de Francken-Siersdorf,

qui

fratribus suis germanis

Joanni Andreae, Vicario Generali,

et

Petro Gervino, ejus in Vicariatu Successori,

nec non patruo

Petro Josepho, Episcopo Antverpiensi,

ab — patruo Joanni,

at — patruo Henrico

ac Sibi,

Singulis hujus Metropolit.
Canonicis Capitularibus,
idem cum patruo suo,
Episcopo Rhodiopolitano,
sibi eligens sepulchrum
exspectansque judicium,
Monumentum hoc vivus posuit.
Viator, vale
et pro singulis Deum precare!
nat. 1. Jan. MDCCXIV.
ob. 1. Octob. MDCCLXXXI.

Factus est autem Franc. Casparus anno 1712. Presbyter Canonicus Capitul. metropolitanae Ecclesiae, dein successive perinsignis S. Severini et illustrium B. M. V. in Capitolio et S. Ursulae Collegiatarum Ecclesiarum Coloniensium Canonicus ac respective Decanus, Gymnasii Laurentiani Regens, quibus in officiis et dignitatibus ecclesiasticis morum gravitate et animi benignitate spiritusque pietate ita excelluit, ut Archiepiscopus eum anno 1713. in suum Suffraganeum assumpserit et 30. Julii anni sequentis, annuente Rom. Pontifice, consecraverit in Episcopum Rhodiopolitanum, quae civitas episcopalis, alias *Rhodia* dicta, erat olim Suffraganea Metropolis Myrorum in Lycia. — Ipse intra quadraginta quatuor annos, ut ex documentis authenticis discimus, primam tonsuram contulit 9488. personis; Subdiaconos ordinavit 7211., Diaconos 7220., Presbyteros 7291., Ecclesias consecravit 35., Altaria fixa 184., Abbates benedixit 60., quos inter duos ex Abbatia Gladbacensi, primum Rvdum Dnum Servatium Van den Berg, I. Aprilis 1725., assistentibus infulatis Abbatibus Michaele Rutges Tuitiensi et Edmundo Schmitz Brauweilerensi; alterum Ambrosium Specht, II. Augusti 1750. Coloniae, assistentibus Abbatibus Francisco Spix ad S. Martinum Coloniae et Leonardo Jansen Knechtstedensi. Eadem munia obivit in Augusto 1761. in Abbatia Veteris Campi, ubi et nonnullis contulit S. Confirmationis Sacramentum, visitans simul vicinam civitatem Wesaliam, ubi in festo S. Dominici apud Rvdos Patres Praedicatores Solemnia egit. Ipse quoque singulari documento, dato I. April. 1730., Venerando

Patri Guardiano Ord. Capucinorum Dusseldorpii, Fr. Angelo Perano, facultatem dedit benedicendi Sacellum S. Crucis in Stoffeln, Parochiae in Bilck. Sibi vivus posuit monumentum, in quo annus et dies obitus notatur:

Memoriae
Francisci Caspari de
Francken-Siersdorff,
Episcopi Rhodiopolitani,
Suffraganei Coloniensis,
Hujus Metrop. et in Capitolio
Canonici presbyteri,
Utrobique Senioris Jubilarii
et ad S. Severinum
olim Decani,
qui
Natus 22. Nov. 1683., obiit 6. Febr. 1770.,
Aetatis 87., Episcopatus anno 46.
Viator,
Qui hoc marmor aspicis,
quod humanae conditionis memor
vivus sibi posuit,
Defuncti reminiscere!

## XXXV. CAROLUS ALOYSIUS MYRINENSIS.

Dominum Francken-Siersdorf secutus est et pietate, et fervore similis Carolus Aloysius, Comes de Königsegg; anno aetatis suae quadragesimo quarto ab ipso Archiepiscopo, Bonnae in Sacello aulico, 22. Aprilis 1770., assistentibus Siegbergensi et St. Pantaleonis Abbatibus, consecratus est Episcopus Myrinensis, quae alias dicitur Plinio *Sebastopolis*, Aeolidis civitas, sub Epheso Metropoli, prope distinguenda a Myris sive civitate Myrensi, in Lycia Metropoli, Episcopatu S. Nicolai celeberrima. — Eodem anno in Ecclesia FF. Minorum Coloniae quinque Altaria consecravit, cujus originale testimonium cum in manibus habeamus, ejusque caeteras dignitates contineat, hic describendum duximus:

„Nos Carolus Aloysius Königsegg, S. R. I. Comes, Dominus in Aulendorf et Stauffen, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Myrinensis, Metropolitanae Electoralis Ecclesiae Coloniensis Decanus et Capellarius Major, nec non Archidiaconus Novesiensis et illustris equestris Ordinis S. Michaelis Commendator, Eminentissimi ac Reverendissimi Principis ac Domini, Maximiliani Friderici, Archiepiscopi ac Principis Electoris Coloniensis etc. per civitatem et Archidioecesin Coloniensem Suffraganeus et Vicarius in Pontificalibus Generalis. Universis et singulis praesentes litteras inspecturis notum fidemque facimus, Nos anno 1770. die IX. Septembr. in Civitate Coloniensi, adhibitis in pontificali praescriptis caeremoniis et solemnitatibus, ad majorem Dei gloriam, Christi fidelium devotionis incrementum, consecrasse in Ecclesia FF. Minorum Recollectorum seu strictioris Observantiae Conventus Coloniensis quinque Altaria: unum majus in honorem Ss. Trinitatis et S. Agnetis V. et M., praefatae Ecclesiae Patronae, SS. Petri et Pauli Apostolorum, S. Bonaventurae, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini et S. Joannis Capistrani; secundum laterale ad cornu Evangelii, summo proximius, in honorem immaculatae Conceptionis B. Mariae V., S. Josephi, SS. Ursulae et Sodalium ejus, et S. Clarae Virg.; tertium laterale ad cornu Epistolae, summo proximius, in honorem S. Antonii Paduani; quartum laterale ad cornu Evangelii, secundo proximum, in honorem SS. Francisci Seraphici; quintum laterale ad cornu Epistolae, tertio proximum, in honorem S. Joannis Nepomuceni; in iisque Reliquias de Societate S. Ursulae V. et M. aliasque Reliquias in Altaribus demolitis repertas inclusisse, singulisque Christi fidelibus hodie unum annum et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsam jam dictam Ecclesiam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessisse. In quorum fidem praesentes per nostrum Secretarium expediri, et manu propria subscriptas officii nostri sigillo jussimus communiri. Signatum Coloniae die nona Septembris 1770. *Carolus Aloysius, Episcopus Myrinensis, Suffraganeus Colon., Mpp.* — Ad mandatum Reverendiss. et Excellentiss. Dni Suffraganei: *Antonius Midderdorf*, Secretarius, mpp. — Sigillum magnum in pergameno

appensum est. — Anno 1772. 26. Augusti in Ecclesia Gladbacensi, assistentibus Abbatibus Aemiliano Behren Tuitiensi et Amando Herriger Brauweilerensi, sacrata manu benedixit Abbatem Lambertum Raves. Ipse adhuc vidit ultimis Suffraganeatus sui annis Gallicam revolutionem, dispersionem Israël, qua primum Gallicani Antistites patria pulsi et a gregibus fugati solum germanicum petebant, praesagium secum portantes futurae tempestatis in Germania, quae non multo post exorta est. Nunc et fugam ad Gallorum adventum arripuit Archiepiscopus et Elector Coloniensis totumque Capitulum Metropolitanum; solus intrepide remansit Carolus Aloysius Suffraganeus, qui tandem 24. Februar. 1796. ad supernam migravit patriam, triumphis gloriosus operibusque bonis, sepultus in Ecclesia Metropolitana.

Observabit sine dubio nobiscum lector, in superiori documento Coloniensem Archiepiscopum titulo *Eminentissimi* insigniri. Ab eo enim tempore, quo Urbanus VIII. decreto singulari dato decima Julii 1630. in Consistorio secreto, Reverendissimos S. Rom. Ecclesiae Cardinales Episcopos, Presbyteros et Diaconos hoc titulo ornavit, Archiepiscopus Coloniensis, tamquam Cardinalis Tit. S. Joannis ante portam Latinam et Legatus natus, hunc titulum jure merito quoque assumpsit. Cui vero eorum primo in publicis instrumentis hic datus fuerit titulus, nescio. Sane in instrumento declarationis a Dno Solemacker conscripto anno 1716. dicitur Archiepiscopus Coloniensis: „Reverendissimus, Serenissimus et Eminentissimus Josephus Clemens etc.“ [1]).

Post obitum altefati Caroli Aloysii Myrinensis, in angustia temporum, Reverendiss. Dominus Archiepiscopus Maximilianus Franciscus, Rvdum Dnum Carolum Clementem de Gruben, Episcopum Pariensem, Suffraganeum suum Osnabrugensem, Coloniam direxit, qui hoc in se suscipiens opus arduum, die 3. Maji 1796. Coloniae advenit et a 5. Maji ad 17. Novembris ejusdem anni in templo Seminarii Coloniensis episcopalia munia obivit. Erat ipse Pariensis Episcopus Canonicus quoque Capitularis Bonnensis et Fritzlariensis, supervixitque abominationem desolationis Ger-

1) *Foullon* Histor. Leodiens. Tom. III. pag. 484.

manicae, dein constitutus Vicarius Apostolicus Hildesiensis et Exsecutor Bullae Leonis Papae XII.: *Impensa Roman. Pontificum etc.*, qua nova Episcopatuum Hildesiensis et Osnabrugensis circumscriptio et organisatio praescribitur, tandem abiens e vita 4. Julii 1827. plenus meritis.

## XXXVI. CLEMENS AUGUSTUS BETHSAIDENSIS.

Ultimus *Electoris Coloniensis* Suffraganeus erat Clemens Augustus Maria, Liber Baro de Merle, quem ipse Elector Archiepiscopus Clemens Augustus e fonte sacro levavit patrinus anno 1732. Adolescens bonis litteris instructus pietatem maxime coluit; factus dein Metropolitanae Coloniensis et Archidiaconalis SS. Cassii et Florentii Bonnensis Canonicus Capitularis, judicii aulici saecularis Praeses, Seminarii Archiepiscopalis Commissarius, renuntiatus tandem anno 1796. Suffraganeus et nona Julii 1797. praeconizatus, octava Septembris ejusdem anni, in Nativitate B. Mariae V. ab ipso Serenissimo Archiepiscopo Maximiliano Francisco Mergenthemii in Sacello aulico consecratus Episcopus Bethsaidensis, secuta postmodum Viennae in Austria 26. Julii 1801. Archiepiscopi morte, auctoritate Capituli metropolitani, sede vacante, in Pontificalibus Vicarius Generalis. Ipse in gravissimis bellorum tumultibus maximisque diversitatibus, adversa plerumque valetudine, partim Coloniae in Ecclesia metropolitana, partim in Sacello suo aulico, postea autem ab anno 1802. Tuitii in Ecclesia abbatiali functiones episcopales maxima attentione et devotione peregit ad mortem usque, quae quarta Januarii 1810. secuta est. Sepultus est in Metternich in familiae sepulchro.

Cum nunc Archidioecesis et suo orbata fuerit Archiepiscopo, et Proepiscopo, omnimodeque viduata, partes Suffraganei in se suscepit et usque ad annum 1825. complevit Reverendissimus et illustriss. Dom. Caspar Maximilianus, L. B. Droste de Vischering, ab ipso Maximiliano Francisco anno 1795. consecratus Episcopus Jerichuntinus et Monasteriensis Suffraganeus, nunc vero ejusdem Ecclesiae Monasteriensis Episcopus Ordinarius, qui nullis parcens laboribus, nullis territus periculis, non semel magnam Colon.

Archidioecesis partem peragravit, ubique Neophytos signaculo S. Spiritus confirmans et s. chrismate ungens, Ordines sacros conferens, Ecclesias consecrans et Altaria, ita ut de eo dicere liceat, quae de S. Ambrosio Mediolanensi refert Paulinus: ab ipso solo plures fuisse confirmatos et ordinatos, quam a quinque Successoribus. Anno 1810. Dusseldorpii ingentem multitudinem s. Chrismate unxit et confirmavit; in Benrath prope Dusseldorpium consecravit Ecclesiam, simul conferens Confirmationis Sacramentum etc. Jam caecus pergit episcopalia munia obire in Dioecesi Monasteriensi.

## XXXVII. CAROLUS ADELBERTUS SAMARIENSIS.

Restaurato tandem Archiepiscopatu et in integrum restituta Dioecesi Coloniensi per felicem pacificationem et conventionem Regis Friderici Wilhelmi III. cum Sanctissimo Patre, Leone XII. Pontifice M., anno 1825. die undecimo Junii S. Barnabae sacro, Coloniae novus est consecratus Archiepiscopus Ferdinandus Augustus Comes Spiegel de Desenberg et Canstein, et anno sequenti Proepiscopus Carolus Adelbertus, Liber Baro de Beyer, olim Abbas Hambornensis Ord. S. Norberti, ut Episcopus Samariae in partibus infidelium, et Suffraganeus Coloniensis, factus dein etiam Praepositus Ecclesiae Metropolitanae, qui sublimem utriusque dignitatis gradum lenitate ingenii et suavitate conversationis officiosaque dexteritate mire promovit et illustravit. Ita praeclare functus officio, donec exorta est gravissima illa procella, quae excellentissimum Archipraesulem Patremque nostrum amantissimum, nomine et omine Clementem Augustum, L. B. Droste de Vischering, de Sede sua episcopali horis vespertinis anno 1837. violenter dejecit in Castellum Mindense, quasi foedifragum regiaeque majestatis reum. Hoc in turbine obfuscatus planeque abreptus, — quod dolenter referimus — illam edidit minime laudabilem Epistolam circularem, qua, cum caeterorum Suffraganeorum gesta illustraverimus monumentis ecclesiasticis, ut monumento actis publicis Annalibusque ecclesiasticis inserto, claudere volumus praesens Syntagma.

„Nos Ecclesiae Metropolitanae Colon. Praepositus, Decanus et Canonici Capitulares Venerabilibus dilectisque nobis in Christo, Ecclesiae Collegiatae Aquisgranensis Capitulo, Decanis ruralibus, Parochis universoque Archidioecesis Coloniensis Clero Salutem in Domino! *Gravissimis ex causis*, Venerabiles fratres, Reverendissimus Archiepiscopus noster *Clemens Augustus*, Liber Baro de Droste Vischering, longius est ex Archidioecesi abductus, et ille, quominus Ecclesiam suam administraret, impeditus. Quare jam (quum sedes Archiepiscopalis quasi vacet) ex juris in Cap.: *Si episcopus.* 3. de *Supplend. negligent. Praelator.* (I, 8.) constituta norma „Capitulum, ac si Sedes per mortem vacaret, in Spiritualibus et temporalibus ministrare debet.“ Quam itaque administrationem hodie nos suscepisse, vobis significamus, mandantes, ut de singulis negotiis ecclesiasticis agendis litteras ad nos detis, donec aliud quid secundum leges ecclesiasticas vobis fuerit praeceptum. De tota causa praesentique Archidioecesis conditione statim, ut decet et a jure praefinitum est, uberius et diligentius ad S. Sedem Apostolicam, cujus interest Ecclesiarum providere necessitatibus, referemus, eamque humillime rogabimus, ut nobis consulat et, quae sibi videantur, ordinet. Mandata Apostolica brevi nobis erunt data, atque ea vobis pariter, fratres carissimi! quietis fidentibusque animis una nobiscum exspectetis, in Domino hortamur, et circumspecto prudentique consilio pro amore Dei curetis, ne quid Ecclesiae rebusque publicis detrimenti oriatur, neve fidelium animi excitentur vel sollicitentur. Coloniae 21. Novembris 1837. Nomine Capituli Praepositus Carolus Adelbertus, Liber Baro de Beyer, Vicarius in Pontificalibus Generalis.“

Quam acrem haec causa provocaverit Litteratorum pugnam, quam moleste eam tulerit Sanctissimus Pater, Dominus Papa Gregorius XVI., nostrum non est, hic recoquere. Vixit Carolus Adelbertus diem, qua publicis documentis regioque Scripto contestata est Reverendissimi Archipraesulis Clementis Augusti innocentia et integritas, viditque admirabundus senex ingressum angeli pacis, Coadjutoris et Archiepiscopi Reverendissimi Dni

Joannis de Geissel, Coloniam in templum cathedrale; diem enim supremum clausit Carolus Adelbertus 21. Aprilis 1842. R. I. P.

Fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Jerusalem, Psalm. L. vers. 20.


# Literarische Anzeige.

Bei **Kirchheim, Schott & Thielmann** sind erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

***Bellarmini, Roberti,*** e SS. Jesu, S. R. E. Cardinalis, Disputationes de controversiis christianae fidei adversus hujus temporibus haereticos. Accedunt Viti Erbermanni, S. J. Theol., Vindiciae Bellarminianae contra Guil. Amesium et Joannem Gerhardum. Ad optimorum librorum fidem accuratissime recudi curavit *Franciscus Sausen.*

**Erster und zweiter Band.** gr. 8. Preis per Band 2 fl. 24 kr. oder 1 Thlr. 8 ggr.

Das schlesische Kirchenblatt äußert sich über unsere neue Ausgabe in Nr. 3. dieses Jahres, wie folgt: „Wir haben nun die Freude, den Lesern ankündigen zu können, daß der erste Band in ausgezeichneter Ausstattung wirklich erschienen ist. Unter Theologen kann über den Werth der Schriften Bellarmins kein Streit seyn. Für gründliche Studien sind sie auch heute noch unentbehrlich. Dieses gilt ganz vorzüglich von den Disputationen über die Unterscheidungslehren. Sie sind aber längst aus dem Buchhandel verschwunden, bei Antiquaren wahre Raritäten und selbst in großen Bibliotheken nicht immer zu finden. Es verdient daher sowohl

Herr Sausen, der sich der Herausgabe dieser Werke unterzog, als auch Herr Kirchheim, der Verleger, in hohem Grade den Dank des wissenschaftlichen theologischen Publikums. Auch noch heute gilt von Bellarmin, was der Papst von ihm bei seiner Erhebung zur Cardinalswürde sagte: Hunc elegimus, quia non habet parem Ecclesia Dei. Sehr wohl hat der Herausgeber gethan, daß er die Bedenklichkeiten gegen die Aufnahme der Vindiciae Erbermanni nicht geachtet hat. Sie sind mitunter etwas derb, das ist wahr; aber es sind in ihnen Schätze enthalten, zu denen dem Theologen der Zugang offen stehen muß. Der erste Band enthält eine vortreffliche Vorrede von dem Herausgeber; ihr folgt die Zueignung Bellarmins an Sixtus V., eine classische und geniale Arbeit. An diese schließen sich an einige Vorreden von Bellarmin, unter denen sich eine 1567 an dem römischen Gymnasium gehaltene kräftige Rede befindet, die sich über die Natur und über die Folgen der Häresie verbreitet. Dann folgt eine Vita Bellarmini; der sich ein Verzeichniß seiner sämmtlichen Schriften anschließt. Den Beschluß bilden haereticorum judicia de R. Bellarmino nach der Sammlung, die der berühmte Gretser veranstaltet hat, der durch seine Syllogismen auf dem Regensburger Colloquium seine Gegner zur Verzweiflung brachte. Es wird nicht leicht ein Einwand von den Gegnern gemacht werden können, der nicht von Bellarmin bereits genügend gewürdigt worden wäre. Die Ausstattung ist ausgezeichnet, der Abdruck in der That accuratissime besorgt; der Preis im Vergleich dazu sehr niedrig." — Die Fortsetzung erscheint regelmäßig und unausgesetzt.

**Estii, Guilielmi,** SS. Theologiae Doctoris et in Academica Duacena professoris primarii, in omnes Pauli Epistolas, item in Catholicas Commentarii. Ad optimorum librorum fidem accuratissime recudi curavit *Franciscus Sausen.* Tomus I—III.

gr. 8. Preis per Band fl. 2. 24 kr. oder Rthlr. 1. 8 ggr.

Als der Herausgeber es unternahm, eine neue Ausgabe der Commentare des Maldonat zu den Evangelien und des Estius zu den paulinischen Briefen zu veranstalten, hatte er dabei die Absicht, dem katholischen Publicum einen Commentar zum Handgebrauche zugänglich zu machen, der sowohl gegen die ältere protestantische Exegese als die Versuche der neueren Nihilisten ein Gegengewicht bilden könnte. Dieses Unternehmen ist nun etwa bis zur Hälfte vorangeschritten und der Herausgeber hat seine Pflicht so redlich erfüllt, daß wohl noch nie ein älteres Werk so in jeder Beziehung vollendet neu erschienen ist. Die Hauptschwierigkeit, welche zu überwinden war, lag jedoch nicht so sehr in Dem, was in dem Werke selbst noch zu thun übrig war, als darin, daß aus der Masse älterer katholischer Exegeten, die alle ihre eigenthümlichen Vorzüge haben, gerade Jene gewählt würden, welche die meisten in sich vereinigen. Und diese Wahl ist gelungen, der Commentar des Estius ist der beste, welcher bis jetzt über die paulinischen Briefe erschienen ist! Er ist der Natur der Sache nach ein wesentlich dogmatischer. Mit seltenem Tiefsinne und unermüdlicher Gründlichkeit dringt der Verfasser, den Papst Benedict XIV., gewiß eine sehr bedeutende Auctorität, Doctor fundatissimus nennt, in die tiefsten Schachte paulinischer Weisheit ein und fördert die daselbst gewonnenen Resultate mit eben so großer Klarheit zu Tage. Wenn indessen dogmatische Gründlichkeit und Tiefe auch der Grundcharakter des Werkes sind, so ist darüber doch kein anderes wesentliches Moment, wie so oft bei anderen

älteren und neueren Exegeten, vernachlässigt. Der Commentar ist durchgängig literal, auf die Auctorität der Väter wird überall die gebührende Rücksicht genommen und über dem Dogmatischen das Historische nicht einseitig in den Hintergrund geschoben. Außerdem besitzt das Werk noch den Hauptvorzug, daß es sich in 5 — 6 mäßige Bände ganz zusammendrängen läßt und sich namentlich zum Begleiter bei exegetischen Vorlesungen und zum Gebrauche bei dem Studium der Dogmatik eignet: zwei Eigenthümlichkeiten, die besonders bei jüngeren Studirenden der Theologie die segenreichsten Erfolge hervorbringen werden. Der vierte und fünfte Band sind unter der Presse und erscheinen noch im Laufe dieses Jahres.

**Maldonati, Joannis,** Societatis Jesu Theologi, Commentarii in quatuor Evangelistas. Ad optimorum librorum fidem accuratissime recudi curavit *Franciscus Sausen*. Tomus I—III.

gr. 8. Preis per Band fl. 2. 24 kr. oder Rthlr. 1. 8 ggr.

Anderer Art als der Commentar des Estius ist der Commentar des Maldonado zu den Evangelien, wie das Süjet und der wahrhaft große Mann, der ihn schrieb, andere waren. Die Evangelien sind mehr historisch als speculativ, und diesen positiven Charakter hat der Verfasser, ohne darum der Kritik unzugänglich zu seyn, auch seiner Arbeit gegeben. Die Art und Weise der Ausführung aber ist ganz eigenthümlich und ein wahres Kunstwerk. Von der ersten bis zur letzten Seite des Werks herrscht dieselbe unverwüstliche Lebensfülle, glänzender Witz, ein Schatz von Scharfsinn und Logik und mitunter eine so ergötzliche Polemik, daß selbst die längsten und schwierigsten Partieen sich ohne Ermüdung lesen lassen, und der in jedem exegetischen Werke durch die vorliegende Eintheilung in Capitel gebotene Mechanismus über der reizenden Darstellung fast ganz verschwindet. Erwägt man nun, daß Maldonats Arbeit eine wissenschaftliche war, und bei allen diesen eben genannten Vorzügen noch der von dem Inhalte und der Wissenschaft geforderte heilige Ernst über dem Ganzen schwebt, so wird man in ihm gewiß einen der größten Meister in der Form erkennen. Welche traurige Rolle spielt dagegen die neuere Exegese! Hat man z. B. die Commentare von Kuinoel, bei deren Lesung man meint, die Evangelien seyen bloß darum geschrieben worden, damit die Philologen ihren Stachel daran wetzen können, die sogenannten psychologischen Willkührlichkeiten eines Paulus studirt — von den Phantasmen der Mythiker gar nicht zu reden — und geht dann zu Maldonat zurück, so ist es dem Geiste, der seither auf dürrer Haide umhergeirrt, als sey er urplötzlich wie durch einen Zauberschlag in einen heiligen Hain versetzt, wo frische Quellen den müden Wanderer laben und ein erquickender Schatten seine heiße Stirne kühlet. Der vierte und fünfte Band erscheinen noch im Laufe dieses Jahres und es ist damit dieses classische Werk geschlossen.